



CONGREGATIO GENERALIS XLVIII

15 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderatur hanc 48 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Velint Patres audire! Cum plures Patres id petierint, notum hoc omnibus facio: duodecim poenitentarii apostolici adsunt quotidie in hac Basilica et praesto sunt Patribus ab hora octava usque ad horam nonam cum dimidio in sedibus confessionis quae sunt in ala sinistra huius Basilicae, ubi est Sanctissimum Sacramentum; recipere possunt confessiones linguis italica, anglica, gallica, germanica, hispanica, lusitana, polona, hungarica et flandrica, id est fiamminga.

Hodie incipit suffragatio super emendationes de cap. III schematis sacrae Liturgiae, quod inscribitur *de ceteris sacramentis et de sacramentalibus*.

Initio huius congregationis fiet relatio ab exc.mo D. Paulo Hallinan, arch. Atlantensi. Deinde, ut iam factum est, legentur singulae emendationes, et fiet suffragatio super iisdem.

Suffragatio, uti iam notum est, fiet quoad emendationes per *placet* et *non placet* tantum.

Nunc lego nomina eorum, qui petierunt verba facere adhuc super cap. II schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia, Stephanus Wyszynski, arch. Gnesnensis et Varsaviensis in Polonia; beat.mus D. Paulus Meouchi, patriarcha Maronitarum in Libano; exc.mi DD. Narcissus Jubany, aux. Barcinonensis in Hispania, Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon, Iesus Enciso, ep. Maioricens. in Hispania, Aloisius Romoli, ep. Pisciensis in Italia, Ioannes Mazur, aux. Lublinensis in Polonia, Petrus Rougé, coad. Nemausensis in Gallia, Raimundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea, Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania, Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D., Ioseph Reuss, aux. Moguntinus in Germania, Vido Riobé, ep. Aurelianensis in Gallia, Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracensis in Venezuela, Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis in India, Michaël Gonzi, arch. Melitensis, Eduardus Swanstrom, aux. Neo-Eboracen-



sis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph López, ep. Tudensis in Hispania, Petrus Carretto, vic. ap. Raiaburiensis in Thailandia, Leonardus Ioseph Raymond, ep. Allahabadensis in India, Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia, Elias Zoghby, vic. patr. Graeco-Melchita in Aegypto, Raphaël González, aux. Valentinus in Hispania, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis, Ioseph Khoury, arch. Tyrensis in Libano, Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia, Orlandus Chaves, arch. Cuiabensis in Brasilia, Ioseph Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis in India.

[5] 1 — SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput III Schematis

AD PROOEMIUM

- 1 — Pag. 179, post lineam 10, addatur: « SACRAMENTALIA PRAETEREA SANCTA MATER ECCLESIA INSTITUIT. QUAE SACRA SUNT SIGNA QUIBUS, IN ALIQUAM SACRAMENTORUM IMITATIONEM, EFFECTUS PRAESERTIM SPIRITUALES SIGNIFICANTUR ET EX ECCLESIAE IMPETRATIONE OBTINENTUR. PER EA HOMINES AD PRAECIPUUM SACRAMENTORUM EFFECTUM SUSCIPIENDUM DISPONUNTUR ET VARIA VITAE ADIUNCTA SANCTIFICANTUR ».

AD ART. 47

- 2 — Pag. 179, lineis 26-28, textus ita mutetur: « CUM HAUD RARO IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM VALDE UTILIS ESSE POSSIT APUD POPULUM LINGVAE VERNACULAE USURPATIO, AMPLIOR LOCUS HUIC TRIBUATUR, IUXTA NORMAS QUAE SEQUUNTUR:
- a) IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM LINGVA VERNACULA ADHIBERI POTEST, SED QUOAD FORMAM SACRAMENTORUM, EXCEPTIS MATRIMONIO ET ALIIS CASIBUS EXPRESSE PROBATIS, LINGVA LATINA GENERATIM SERVETUR ».



AD ART. 52

[5]

- 3 — Pag. 180, linea 23, initio art. 52 addatur: « IN RITU BAPTISMI NE DESINT ACCOMMODATIONES, DE IUDICIO ORDINARII LOCI ADHIBENDAE, PRO MAGNO BAPTIZANDORUM CONCURSU ».

AD ART. 57

[6]

- 4 — Pag. 181, lineis 12-15, textus ita mutetur: « “ EXTREMA UNCTIO ”, QUAE ETIAM ET MELIUS “ UNCTIO INFIRMORUM ” VOCARI POTEST, NON EST SACRAMENTUM EORUM TANTUM QUI IN EXTREMO VITAE DISCRIMINE VERSANTUR ».
- 5 — Pag. 181, lineis 15-17, textus ita mutetur: « PROINDE TEMPUS OPPORTUNUM ID RECIPIENDI IAM CERTE HABETUR CUM FIDELIS INCIPIT ESSE IN PERICULO MORTIS PROPTER INFIRMITATEM VEL SENIUM ».

AD ART. 60

- 6 — Pag. 181, lineis 25-26, omittatur art. 60: « *Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest* ».

AD ART. 61

- 7 — Pag. 182, post lineam 4, addatur nova paragraphus: « IN CONSECRATIONE EPISCOPALI IMPOSITIONEM MANUUM FIERI LICET AB OMNIBUS EPISCOPIS PRAESENTIBUS ».

AD ART. 63

- 8 — Pag. 182, linea 22, post verba: « *in initio ritus* », addatur: « ET BENEDICTIO SPONSIS SEMPER IMPERTIATUR ».

AD ART. 64

- 9 — Pag. 182, post lineam 29, addatur: « PROVIDEATUR UT QUaedam SACRAMENTALIA, SALTEM IN SPECIALIBUS RERUM ADIUNCTIS ET DE IUDICIO ORDINARII, A LAICIS CONGRUIS QUALITATIBUS PRAEDITIS ADMINISTRARI POSSINT ».

AD ART. 65

- 10 — Pag. 183, lineis 4-5, textus ita mutetur: « AB IIS QUI PROFESSIONEM VEL VOTORUM RENOVATIONEM INTRA MISSAM PERAGUNT, SALVO IURE PARTICULARI, ASSUMENDUS ».



[19]

2 – TEXTUS SCHEMATIS

Caput III Schematis

*Textus in Schemate propositus**Textus a Commissione emendatus**

CAPUT III

CAPUT III

DE SACRAMENTIS
ET SACRAMENTALIBUSDE CETERIS SACRAMENTIS
ET DE SACRAMENTALIBUS

Sacramenta et Sacramentalia ordinantur ad cultum debite Deo reddendum et ad hominem sanctificandum;¹ utpote vero signa « ad instructionem pertinent ».² Unde fidem non solum supponunt, sed « verbis ac rebus » alunt; et ita eorum celebratio liturgica fideles ad cultum Deo debite reddendum et ad gratiam fructuose recipiendam etiam proxime disponit. Ideo « sacramenta fidei » dicuntur.

Maxime proinde interest ut qui ad fidem vocantur, Baptismum verum signum fidei inveniant, et fideles, ad propriam vitam christianam alendam, Sacramenta impensissime frequentent.

59. Sacramenta ordinantur ad sanctificationem hominum, ad aedificationem Corporis Christi, ad cultum denique Deo reddendum; ut signa vero etiam ad instructionem pertinent.¹ Fidem non solum supponunt, sed verbis et rebus etiam alunt, roborant, exprimunt; quare fidei sacramenta dicuntur. Gratiam quidem conferunt, sed eorum celebratio fideles optime etiam disponit ad eandem gratiam fructuose recipiendam, ad Deum rite colendum et ad caritatem exercendam.

Maxime proinde interest ut fideles signa Sacramentorum facile intellegant et ea Sacramenta impensissime frequentent, quae ad vitam christianam alendam sunt instituta.

60. SACRAMENTALIA PRAETEREA SANCTA MATER ECCLESIA INSTITUIT. QUAE SACRA SUNT SIGNA QUIBUS, IN ALIQUAM SACRAMENTORUM IMITATIONEM, EFFECTUS PRAESERTIM SPIRITUALES SIGNIFICANTUR ET EX ECCLESIAE IMPETRATIONE OBTINENTUR. PER EA HOMINES AD PRAECIPUUM SACRAMENTORUM EFFECTUM SUSCIPIENDUM DISPONUNTUR ET VARIA VITAE ADIUNCTA SANCTIFICANTUR.

[20]

Per liturgiam enim Sacramentorum et Sacramentalium, fidelibus bene dispositis nullus iam

61. Itaque liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispo-

* Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.



fere eventus vitae gratia divina non sanctificatur, ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque etiam rerum materialium usus, per se honestus, ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi non dirigitur. *Quod sane facilius fit, si ipsa, quoad eorum liturgicam structuram, quoad textus et ritus, ita ordinantur, ut res divinas, quas significant et suo cuiusque modo efficiunt, sic exprimant ut a fidelibus possint facile percipi et actiuosa atque communitaria participatione celebrari.*

Cum autem, decursu temporum, non sine fidelium detrimento, quaedam in ea irrepserint quae praedictae eorum naturae minus bene respondeant, Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur decernit.

sitis omnis fere eventus vitae sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque paene rerum materialium usus honestus ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi dirigi non possit. [20]

62. Cum autem, *successu* temporum, quaedam in *Sacramentorum et Sacramentalium ritus* irrepserint, quibus eorum natura et finis nostris temporibus minus eluceant, atque adeo opus sit quaedam in eis ad nostrae aetatis necessitates accommodare,² Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur de eorum recognitione decernit.

63. CUM HAUD RARO IN ADMINISTRATIO-NE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM VALDE UTILIS ESSE POSSIT APUD POPULUM LINGVAE VERNACULAE USURPATIO, AMPLIOR LOCUS HUIC TRIBUATUR, IUXTA NORMAS QUAE SEQUUNTUR:

a) IN ADMINISTRATIO-NE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM LINGVA VERNACULA ADHIBERI POTEST, SED QUOAD FORMAM SACRAMENTORUM, EXCEPTIS MATRIMONIO ET ALIIS CASIBUS EXPRESSE PROBATIS, LINGVA LATINA GENERATIM SERVETUR;

I – DE RITUALIBUS REVISENDIS

47. [Ritualia particularia]. In nova editione « typica » Ritualis romani paranda, clare indicentur partes, quae, in Ritualibus particularibus, lingua vulgari dici possunt. Super huiusmodi autem Ritualis romani editione, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus aptata (cf. art. 21 huius Constitutionis), a

b) *Iuxta novam Ritualis romani editionem*, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus, *etiam quoad linguam, accommodata, a competenti ecclesiastica auctoritate territoriali de qua in art. 22 § 2 huius Constitutionis* quam primum parentur, et, *actis ab Apostolica Sede recognitis*, in regionibus

[21]



[21] Conferentiis Episcopalibus quam primum parentur, et, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291), in respectivis regionibus adhibeantur.³ In his autem Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones pastorales et rubricales, quae in Rituali romano singulis ritibus praemittuntur.

ad quas pertinet adhibeantur.³ In iis autem Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones, in Rituali romano singulis ritibus *praepositae*, sive pastorales et rubricales, sive quae peculiare momentum sociale habent.

II – DE SACRAMENTIS INITIATIONIS CHRISTIANAE

48. [*Restauratio catechumenatus*]. Instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, ita ut tempus catechumenatus, instructioni destinatum, de iudicio Ordinarii loci, sacris quoque ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit.⁴

64. Instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, de iudicio Ordinarii loci *in usum deducendus*; quo fiat ut tempus catechumenatus, *aptae institutioni* destinatum, sacris ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit.⁴

49. [*Elementa initiationis a traditione populorum derivata*]. In terris Missionum, praeter ea quae in traditione christiana habentur, illa etiam elementa initiationis admittantur, quae apud unumquemque populum in usu reperiuntur, quatenus ritui christiano aptari possunt.

65. In terris Missionum, praeter ea quae in traditione christiana habentur, illa etiam elementa initiationis *admitti liceat*, quae apud unumquemque populum in usu esse reperiuntur, quatenus ritui christiano *accommodari* possunt, *ad normam art. 37-40 huius Constitutionis*.

50. [*Ordo Baptismi adultorum*]. Ritus ad baptizandos adultos recognoscatur,⁵ ratione habita catechumenatus instaurati; et Missali romano Missa propria in collatione Baptismi inseratur.

66. *Uterque ritus baptizandi adultos*,⁵ *tum simplicior, tum, ratione habita catechumenatus instaurati, solemnior*, recognoscatur; et Missali romano Missa propria « In collatione Baptismi » inseratur.

[22] 51. [*Ordo Baptismi parvulorum*]. Ritus ad baptizandos parvulos conditioni reali infantis rationis nondum compotis aptetur;⁶ partes etiam parentum et patrinorum in ipso ritu melius in luce ponantur.

67. *Ritus baptizandi parvulos recognoscatur et verae infantium conditioni accommodetur*;⁶ partes etiam parentum et patrinorum eorumque officia, in ipso ritu, *magis pateant*.

52. [*Ordo brevior Baptismi*]. Conficiatur Ordo brevior Baptismi, qui, in terris Missionum, a catechistis, et generatim, in periculo mortis, a fidelibus, absente sacerdote vel diacono, adhiberi possit.

68. IN RITU BAPTISMI NE DESINT ACCOMMODATIONES, DE IUDICIO ORDINARII LOCI ADHIBENDAE, PRO MAGNO BAPTIZANDORUM CONCURSU.⁷ Conficiatur *item* Ordo brevior *quo, praesertim* in terris Missionum, *catechistae*, et



generatim, in periculo mortis, *fideles*, absente [22]
10 sacerdote vel diacono, *uti possint*.

53. [*Ordo supplendi omissa in Baptismo*]. Loco « Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum », novus ritus conficiatur ad significandam receptionem infantis in Ecclesiam, qui ritu brevi fuerit baptizatus.⁷ Item similis ritus conficiatur pro neoconversis iam valide baptizatis.

69. Loco ritus qui « Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum » appellatur, novus conficiatur quo apertius et congruentius indicetur infantem, qui ritu brevi baptizatus fuerit,⁸ iam receptum esse in Ecclesiam.

Item novus ritus conficiatur pro valide iam baptizatis, ad sacra catholica conversis, quo significetur eos in Ecclesiae communionem admitti.

54. [*Benedictio aquae baptismalis*]. Aqua 20 baptismalis, extra tempus paschale, in ipso ritu Baptismi, ex iusta et rationabili causa, formula brevior et apta, benedici potest.

70. Aqua baptismalis, extra tempus paschale, in ipso ritu Baptismi probata formula brevior benedici potest.

55. [*Ritus Confirmationis*]. Ritus Confirmationis ita recognoscatur,⁸ ut clarius eluceat huius Sacramenti intrinseca connexio cum tota initiatione christiana; et ideo, pro opportunitate, Confirmatio etiam intra Missam conferri possit;⁹ eamque praecedat renovatio promissionum Baptismi.¹⁰ Ipsa administratio Sacramenti aptioribus liturgicis formulis introducatur.

71. Ritus Confirmationis recognoscatur⁹ etiam ut huius Sacramenti intima connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceat; quapropter renovatio promissionum Baptismi¹⁰ convenienter ipsam Sacramenti susceptionem praecedet.

30 Confirmatio, pro opportunitate, intra Missam conferri potest;¹¹ ad ritum autem extra Missam quod attinet, paretur formula ad modum introductionis adhibenda.

III – DE POENITENTIA

56. [*Ordo Poenitentiae*]. Ritus et formulae Poenitentiae ita recognoscantur, ut effectum Sacramenti clarius expriment.

72. Ritus et formulae Poenitentiae ita recognoscantur, ut naturam et effectum Sacramenti clarius expriment.

IV – DE UNCTIONE INFIRMORUM

57. [*Nomen et natura Sacramenti*]. Sacramentum, quod communiter « Extrema Unctio » nuncupatur, deinceps « Unctio infirmorum » vocabitur; nam non est per se Sacramentum morientium, sed graviter aegrotantium,¹¹ ac proinde tempus opportunum illud recipiendi est statim ac fidelis in gravem morbum incidit.

73. « EXTREMA UNCTIO », QUAE ETIAM ET MELIUS « UNCTIO INFIRMORUM » VOCARI POTEST, NON EST SACRAMENTUM EORUM TANTUM QUI IN EXTREMO VITAE DISCRIMINE VERSANTUR. PROINDE TEMPUS OPPORTUNUM IUDICIUM RECIPENDI IAM CERTE HABETUR CUM FIDELIS INCIPIT ESSE IN PERICULO MORTIS PROPTER INFIRMITATEM VEL SENIUM.¹²

[23]



[23] 58. [*Collatio Sacramenti*]. Unctio infirmi regulariter locum habeat post Confessionem et ante receptionem Eucharistiae.¹²

59. [*Ritus Sacramenti*]. Unctionum numerus pro opportunitate aptetur (cf. art. 21 huius Constitutionis), et orationes quae ritum Unctionis infirmorum comitantur, ita recognoscantur,¹³ ut respondeant diversis condicionibus infirmorum, qui Sacramentum recipiunt.

60. [*Iteratio Sacramenti*]. Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest.¹⁴

V – DE ORDINE

61. [*Ritus Ordinationum recognoscendi*]. Ritus Ordinationum a peritis, sive quoad caeremonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio cuiusque Ordinis, fiant lingua fidelibus nota.

74. Praeter ritus seiunctos Unctionis infirmorum et Viatici, conficiatur Ordo continuus secundum quem Unctio aegroto conferatur post confessionem et ante receptionem Viatici.¹³

75. Unctionum numerus pro opportunitate accommodetur, et orationes ad ritum unctionis infirmorum pertinentes ita recognoscantur,¹⁴ ut respondeant variis condicionibus infirmorum, qui Sacramentum suscipiunt.

76. Ritus Ordinationum sive quoad caeremonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio cuiusque Ordinationis aut Consecrationis, fieri possunt lingua vernacula.

IN CONSECRATIONE EPISCOPALI IMPOSITIONEM MANUUM FIERI LICET AB OMNIBUS EPISCOPIS PRAESSENTIBUS.

VI – DE MATRIMONIO

62. [*Ritus Matrimonii*]. Ritus celebrandi Matrimonium, qui exstat in Rituali romano, funditus recognoscatur et ditior fiat, ita ut gratia Sacramenti clarius significetur.¹⁵

[24] « Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ».¹⁶

Insuper Conferentiis Episcopalibus relinquatur facultas exarandi ritum proprium (cf. art. 48 huius Constitutionis),¹⁷ usibus locorum et populorum congruum, firma tamen lege ut

77. Ritus celebrandi Matrimonium, qui exstat in Rituali romano, recognoscatur et ditior fiat, quo clarius gratia Sacramenti significetur¹⁵ et munera coniugum inculcentur.

« Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ».¹⁶

Insuper competenti auctoritati ecclesiasticae territoriali, de qua in art. 22 § 2 huius Constitutionis, relinquatur facultas, ad normam art. 63, exarandi ritum proprium¹⁷ usibus lo-



sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.¹⁸

63. [*Celebratio Matrimonii*]. Matrimonium ordinarie infra Missam celebretur, post lectionem Evangelii et homiliam, ante orationem fidelium.¹⁹ Oratio super sponsam, ita opportune emendata ut supra utrumque coniugem recitari valeat, dicatur lingua vernacula.

Si vero Sacramentum Matrimonii extra Missam, sed in ecclesia, celebratur, lectiones de Epistola et Evangelio Missae pro Sponsis legantur in initio ritus.²⁰

VII – DE SACRAMENTALIBUS

64. [*Recognitio Sacramentalium*]. Sacramentalia funditus recognoscantur, prae oculis habito principio de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis hodiernis necessitatibus. In Ritualibus recognoscendis, etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt.

Benedictiones reservatae, perpaucae, et in favorem tantum Episcoporum, habeantur.

65. [*Ritus vestitionis et professionis religiosae*]. Conficiatur ritus vestitionis et professionis religiosae et renovationis votorum, qui valde optatam unitatem,²¹ sobrietatem et digni-

corum et populorum *congruentem*, firma tamen [24]
10 lege ut sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.¹⁸

78. Matrimonium *ex more* intra Missam celebretur, post lectionem Evangelii et homiliam, ante « orationem fidelium ». ¹⁹ Oratio super sponsam, ita opportune emendata ut *aequalia officia mutuae fidelitatis utriusque sponsi inculcet, dici potest* lingua vernacula.

Si vero Sacramentum Matrimonii *sine Missa* celebratur, Epistola et Evangelium Missae pro sponsis legantur in initio ritus ET BENEDICTIO SPONSIS SEMPER IMPERTIATUR.²⁰

79. Sacramentalia recognoscantur, *ratione habita normae primariae* de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis *nostrorum temporum* necessitatibus. In Ritualibus recognoscendis *ad normam art. 63*, etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt.

Benedictiones reservatae perpaucae *sint*, et in favorem tantum Episcoporum *vel Ordinarium*.

PROVIDEATUR UT QUAE DAM SACRAMENTALIA, SALTEM IN SPECIALIBUS RERUM ADIUNCTIS ET DE IUDICIO ORDINARII, A LAICIS CONGRUIS QUALITATIBUS PRAEDITIS, ADMINISTRARI POSSINT.

80. *Ritus Consecrationis Virginum, qui in Pontificali romano habetur, recognitioni subiciatur.* [25]

Conficiatur *praeterea* ritus professionis religiosae et renovationis votorum, qui *ad maiorem* unitatem, sobrietatem et dignitatem *conferat*,²¹ AB IIS QUI PROFESSIONEM VEL VOTO-



[25] tatem inducat, ita tamen ut quidam ritus particulares non excludantur.

Professio religiosa infra Missam fieri potest.

VIII — DE EXSEQUIIS

66. [*Ordo exsequiarum*]. Ritus exsequiarum sensum paschalem mortis christianae clarius exprimat, et condicionibus ac traditionibus singularum regionum melius aptetur.²²

67. [*Exsequiae parvulorum*]. Ex integro recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur.

RUM RENOVATIONEM INTRA MISSAM PERAGUNT, SALVO IURE PARTICULARI, ASSUMENDUS.

10

Professio religiosa *laudabiliter* intra Missam fiet.

15

81. Ritus exsequiarum paschalem mortis christianae *indolem manifestius* exprimat, atque condicionibus et traditionibus singularum regionum, *etiam quoad colorem liturgicum*, melius respondeat.²²

82. Recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur.

[26]

NOTAE

¹ S. THOMAS, *Summa Theol.*, III, 62, a. 5 et 63, a. 6.

² S. THOMAS, *De veritate*, 27, a. 4.

³ Cf. *Acta et Documenta*, I. c. pp. 384-385, nn. 10-12.

⁴ Cf. *Acta et Documenta*, I. c. pp. 12-13, nn. 1-9.

⁵ Cf. *Acta et Documenta*, I. c. pp. 12-15.

⁶ Cf. *Acta et Documenta*, I. c. pp. 16-17, nn. 9-18.

⁷ Cf. *Acta et Documenta*, I. c. p. 19, nn. 35-36 et p. 22, n. 6.

⁸ Cf. *Acta et Documenta*, I. c. pp. 25-27.

⁹ Cf. *Acta et Documenta*, I. c. p. 27, nn. 15-18.

¹⁰ Cf. *Acta et Documenta*, I. c. p. 26 nn. 12-14.

¹¹ Nomen « Extrema Unctio » solummodo tardioribus saeculis (XII-XIII) inventum est; antea « Oleum infirmorum », « Oleum benedictum » appellabatur. Merito in Concilio Tridentino petiitum est ut nomen primitivum restitueretur. Melius proinde nomen Sacramenti esset « Unctio infirmorum », quoniam agitur non de re sed de actione.

Dilatatio ad ultima momenta in usum venit a saeculo fere X, quando Unctio insolubiliter coniuncta erat cum concessione poenitentiae sollemnis, qua tamen ei qui convalesceret onera gravissima ad dies vitae imponebantur. Vota Episcoporum de hac re cf. in *Acta et Documenta*, I. c. p. 95 nn. 1-6; pp. 96-97 nn. 7-13.

¹² Ex verbis Apostoli Iacobi: « Et (infirmus) si in peccatis sit, remittentur ei » (Iac. 5, 15), clare eruitur quod Unctio infirmorum spiritualiter pertinet

NOTAE

¹ Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III q. 62 a. 5 c.; q. 63 a. 6 c.; *De veritate*, q. 27 a. 4 c.

² Cf. *Acta et Documenta*, cit., III, pp. 277-279; *ibid.*, Appendix vol. II, pars II, p. 358.

³ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 384-385 nn. 10-12.

⁴ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 12-13 nn. 1-9; S. RITUUM C., *Decretum Generale. Ordo Baptismi adultorum in varios gradus distribuitur per quos catechumeni, progrediente instructione, usque ad Baptismum perducuntur*, 16 apr. 1962: AAS 54 (1962) pp. 310-338.

⁵ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 12-14.

⁶ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 14-21.

⁷ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, p. 15 n. 6, p. 16 n. 13, p. 18 nn. 27, 31.

⁸ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, p. 19 nn. 35-36, p. 22 n. 6.

⁹ Cf. *Acta et Documenta*, cit., III, p. 277; *ibid.*, Appendix vol. II, pars II, pp. 25-27.

¹⁰ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, p. 26 nn. 13-14.

¹¹ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, p. 27 nn. 15-18.

¹² Cf. CIC, can. 940 § 1; *Acta et Documenta*, cit., III, p. 278; *ibid.*, Appendix vol. II, pars II, pp. 95-101.



ad poenitentiam. « Consummativum poenitentiae » hoc Sacramentum declarat Concilium Tridentinum (Sessio 14. Doctr. de Sacram. Extr. Unctionis. Prooemium); ideoque administrandum videtur post confessionem sacramentalem infirmi et antequam ille sacram Communionem recipiat. Nam Eucharistia est Sacramentum consummativum omnium aliorum Sacramentorum. « Sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta... nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem... per poenitentiam etiam et *extremam unctionem* praeparatur homo ad digne sumendum Corpus Christi » (S. THOMAS, *Summa Theol.* III, 65 n. 3). Vota Episcoporum de hac re, cf. in *Acta et Documenta*, l. c. pp. 98-99, nn. 26-28.

¹³ Cf. *Acta et Documenta*, l. c. pp. 99-101, nn. 29-46.

¹⁴ Praxis hodierna (can. 940, § 2), post monitum Concilii Tridentini (Sessio XIV, Doctr. de Sacram. Extr. Unctionis, c. 3), vetat in eodem vitae discrimine hoc Sacramentum iterare. Sed Unctionis iteratio, etiam in eadem infirmitate, fuit consuetudo Ecclesiarum usque ad saec. XIII. Nam aegrotus, maxime in diuturna infirmitate, saepius indiget solatio spirituali. Vota Episcoporum de hac re, cf. in *Acta et Documenta*, l. c. p. 97, nn. 14-17.

¹⁵ Cf. *Acta et Documenta*, l. c. p. 175, nn. 2-4.

¹⁶ CONC. TRID., Sess. XXIV, *De reformatione*, c. 1: DENZ. 990. Cf. *Rituale romanum*, tit. VIII, cap. 2, n. 6.

¹⁷ Cf. *Acta et Documenta*, l. c. p. 177, n. 19.

¹⁸ Can. 1095, § 1, 3^o.

¹⁹ Cf. *Acta et Documenta*, l. c. p. 175, nn. 5-7.

²⁰ Cf. *Acta et Documenta*, l. c. p. 175, n. 8.

²¹ Cf. *Acta et Documenta*, l. c. p. 369, nn. 1-3.

²² Cf. *Acta et Documenta*, l. c. pp. 366-367, nn. 1-4.

Nomen « Extrema Unctio » solummodo tardioribus saeculis (XII-XIII) invectum est; antea « Oleum infirmorum », « Oleum benedictum » appellabatur. Merito in Concilio Tridentino petiitum est ut nomen primitivum restitueretur. Melius proinde nomen Sacramenti esset « Unctio infirmorum », quoniam agitur non de re sed de actione. [26]

Dilatio ad ultima momenta in usum venit a saeculo fere X, quando Unctio insolubiliter coniuncta erat cum concessione poenitentiae sollemnis, qua tamen ei qui convaluerat onera gravissima ad dies vitae imponebantur.

¹³ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 98-99 nn. 26-28.

Ex verbis Apostoli Iacobi: « Et (infirmus) si in peccatis sit, remittentur ei » (Iac. 5, 15), clare eruitur quod Unctio infirmorum spiritualiter pertinet ad poenitentiam. « Poenitentiae consummativum » hoc Sacramentum declarat Concilium Tridentinum (Sessio XIV, 25 nov. 1551, *Doctrina de sacramento extremae unctionis*, prooemium: CONCILIIUM TRIDENTINUM, cit., t. VII, Friburgi in Br. 1961, p. 355); ideoque administrandum videtur post confessionem sacramentalem infirmi et antequam ille sacram Communionem recipiat. Nam Eucharistia est sacramentum consummativum omnium aliorum sacramentorum. [27]

« Sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta... nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem... per poenitentiam etiam et *extremam unctionem* praeparatur homo ad digne sumendum Corpus Christi » (S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 65 n. 3).

¹⁴ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 99-101 nn. 29-46.

¹⁵ Cf. *Acta et Documenta*, cit., III, p. 278; *ibid.*, Appendix vol. II, pars II, p. 715 nn. 2-4.

¹⁶ Concilium Tridentinum, Sessio XXIV, 11 nov. 1563, *De reformatione*, cap. 1: CONCILIIUM TRIDENTINUM, cit., t. IX, Friburgi in Br. 1924, p. 969. Cf. *Rituale Romanum*, tit. VIII, c. II, n. 6, editio prima post typicam, Typis Polyglottis Vaticanis 1954, p. 383.

¹⁷ Cf. *Acta et Documenta*, Appendix vol. II, pars II, p. 177 nn. 18-19.

¹⁸ Cf. CIC, can. 1095, § 1, 3^o.

¹⁹ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, p. 175 nn. 5-7.

²⁰ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, p. 175 n. 8.

²¹ Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, p. 369 nn. 1-3.

²² Cf. *Acta et Documenta*, cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 366-367 nn. 1-4.



[28]

APPENDIX

EXCERPTA ex « Declarationibus » additis Schemati a Commissione Praeparatoria parato, quae afferuntur ad meliorem intellegentiam quorundam articulorum

AD ART. 51 [nunc 67] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Ordo Baptismi parvulorum in Rituali romano (Tit. II, cap. 2) exhibitus, etsi ut ritus pro parvulis indicatur, talibus formulis et caeremoniis constat, ut revera congruat adulto, qui sit suae intellegentiae et voluntatis compos. Hoc non obstante, ritus ille retinendus videtur, cum quibusdam tamen emendationibus, scilicet:

1) Omittantur: a) orationes quibus memoratur catechumeni progressus usque ad recipiendum Baptismum (ex. gr. *Preces nostras...*: n. 4 b); b) eorundem rituum repetitiones, sicut diversi exorcismi, quorum multiplicitas a prisca eorum distributione per successiva tempora originem ducit; c) aliqui ritus minus apti.

2) Restituatur unctio Olei catechumenorum in pristinum locum, ante renuntiationem Satanae: nam, symbolice, unctio praeparat ad extremam luctam contra diabolum, quae fit in renuntiatione.

3) Clarius appareat distinctio inter traditionem et redditionem symboli necnon orationis dominicae. Instauretur quoque aliqua traditio Evangelii per lectionem cuiusdam pericopae evangelicae.

4) Partes parentum et patrinorum melius in luce ponantur. Deest in praesenti Ordine admonitio de eorum gravibus officiis coram Deo et Ecclesia contractis, atque assensus eorum viva voce factus.

5) Forsan opportunum foret inserere brevem et aptam orationem litanicam cui praesentes respondeant.

AD ART. 53 [nunc 69] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. In « Ordo supplendi omissa in Baptismo » (*Rituale romanum*, tit. II, cap. V et VI) quaedam partes, sicut exorcismi, iam non videntur esse ad rem.

Immo totus ritus supplendi omissa in Baptismo apte substituendus esset per novum « Ordo ad recipiendum neobaptizatum in ecclesiam paroecialem », cuius partes esse possent:

a) receptio infantis a sacerdote ad ianuam ecclesiae;

b) redditio symboli et orationis dominicae a parentibus seu patrinis facta;

c) sponsiones ab ipsis datae de christiana pueri educatione;

d) lectio evangelica (ex. gr. Matth. 5, 1-12);

e) unctio chrismatis, nisi iam facta fuerit;

f) traditio vestis albae et candelae accensae;

g) benedictio sacerdotis.

AD ART. 54 [nunc 70] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Omnibus profecto nota est conditio miserissima, immo indecens, aquae baptismalis, saepissime in vasculis Baptisterii putrescentis, praecipue in regionibus calidioribus. Ut hoc incommodum vitetur, proponitur ut aqua baptismalis non reservetur per integrum annum, sed, tempore paschali secluso, benedicatur cum Baptismus administratur.

Insuper, per hanc benedictionem aquae in actu Baptismi, instauratur integritas catecheseos et ritus. Ritus enim Baptismi obscurus aliquomodo evadit, cum numquam, praeterquam in Vigilia paschali, compleatur per splendidam expositionem mysterii aquae, quae legitur in praefatione ab benedicendum fontem. Sic optatur ut, pluries in anno, benedici possit aqua, ex. gr. pro Baptismis collectivis.

Ceterum, mos benedicendi aquam baptismalem una tantum vice quolibet anno non invaluit nisi in fine medii aevi.

AD ART. 56 [nunc 72] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Inter ritus recognoscendos, praecipuus videtur impositio manus, quae, secundum S. Cyprianum, signum erat reconciliationis et communionis cum Ecclesia in poenitentia restituae, quae necessaria erat, quia per peccatum vinculum vivum cum Ecclesia destructum erat. Significabat



reconciliationem per Spiritum Sanctum, sicut hucusque retinet Pontificale romanum in ritu reconciliationis apostatae. Impositio manus praescribitur quidem a Rituali, sed forma alterata: « Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit... », dum Rituale ambrosianum adhuc clare dicit: « manu dextera super caput poenitentis elevata et extenta... ». Instauretur proinde dispositio Ritualis, ita ut cognoscatur ritum esse impositionem manus, etiamsi sine contactu physico.

Inter alia, sunt recognoscenda verba « ab omni vinculo excommunicationis »: sensu enim canonistico explicata, pro absolutione a censuris sufficientia non reputantur, ceterum fere semper superflua. Primitus erant quidem formula sacramentalis, qua poenitens « communioni » Corporis Christi restituebatur, ideo vere absolvebatur.

AD ART. 59 [nunc 75] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. In orationibus, quas exhibet Rituale romanum, petitur unice sanatio infirmi: quod non semper congruit, scilicet quando Sacramentum administratur aut moribundo iam in extremis, aut infirmo gravi absque prudenti spe sanationis. Item formulae magis aptae desiderantur cum Sacramentum confertur homini aetate iam propecto, vel iuveni.

AD ART. 61 [nunc 76] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Suggestiones quamplurimae factae sunt etiam circa aptationem huius Sacramenti, ut eius sensus apertior fiat ad captum et ad sensum diversarum gentium. Aspectibus iuridicis huius quaestionis competentibus Commissionibus relictis, inter quos, v. gr. recognitio numeri Ordinum minorum et restitutio Ordinum minorum aut Diaconatus ad pristina officia, aliqua tantum indicantur naturae strictae liturgicae:

a) Desideratur reductio plurium caeremoniarum, una cum suis formulis, praesertim in ordinatione sacerdotali et in consecratione episcopali.

b) Recognoscatur tota traditio instrumentorum et indumentorum.

c) Allocutiones Episcopi ad Ordinandos revisioni subiciantur, ita ut conceptus qui in ipsis continentur magis respondeant officiis et obligationibus nostra aetate in iure praevisis.

d) Item nonnullae formulae passim in ri-

tibus occurrentes, quae disciplinam aut rerum condicionem obsoletam sapiunt, novis rerum adiunctis accommodentur.

e) Usus linguae fidelibus notae in allocutionibus Episcopi ad Ordinandos necessarius videtur ad fidelium instructionem, ut ita magis directe adducantur ad intellegendam naturam et effectus singulorum Ordinum.

AD ART. 65 [nunc 80] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Inter Communitates religiosas, praesertim mulierum, exstat varietas fere immensa quoad caeremoniale vestitionis et professionis religiosae. Fere cotidie perveniunt ad S. Rituum Congregationem nova caeremonialia Religiosorum approbanda. Ex his autem, nonnulla commune schema sequuntur, quod aliquando sapit ritum Consecrationis Virginum in Pontificali romano exstantem; alia vero, quavis similitudine cum ritibus liturgicis neglecta, proprium sequuntur iter a sensu liturgico omnino aberrans, et unice super elementis devotionalibus fundatum.

Plurimi vota prompserunt ut tandem ordo quidam ponatur in hac congerie caeremonialium et eorum dignitati atque unitati provideatur. Optimum videretur consilium si schema commune conficeretur, cui, in singulis casibus, addi possent elementa particularia, quae indolem propriam cuiusque Instituti in luce ponat.

Optatur pariter ut professio religiosa intra Missam fiat, sicuti Consecratio Virginum, et sicut fere omnes alii ritus consecratorii personarum.

AD ART. 66 [nunc 81] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Exsequiae, quae ritus funerarii partem notabilem efformant, et quibus populus numerosior adest, indigent revisione.

In ritu hodierno, hi defectus notantur:

a) conceptus mortis, qui ex formulariis eruitur, non exhibet doctrinam spe plenam, quam Ecclesia tenet de morte christiana;

b) quaedam, praesertim responsoria et lectiones Officii defunctorum, sunt nimis tetra et angustiis referta;

c) adstantes fideles quasi absentes sunt ab oratione Ecclesiae pro defunctis.

Haec proinde desiderata proponuntur:

a) locum ampliorem in ritu funerario obtineant textus qui sensum paschalem mortis christi-



[29] stianae exprimunt (ex. gr. pss. 113 et 117), ut efficacius proclametur fides Ecclesiae in resurrectione;

b) ad incrementum pietatis, maior varietas habeatur in formulariis Missarum, praesertim in lectionibus;

c) foveatur actuosa participatio fidelium mediis aptioribus;

d) usus funerarii gentium, praesertim in terris Missionum, dummodo nihil superstitionis prae se ferant, agnoscantur et in ritum christianum admitti possint.

3 – RELATIO EXC. MI P. D. PAULI J. HALLINAN *Archiepiscopi Atlantensis*

Venerabiles Patres,

Commissio Conciliaris de Sacra Liturgia, probe expensis animadversionibus quas in prima periodo Concilii fecistis circa caput III Schematis de Sacra Liturgia, de Sacramentis et Sacramentalibus, mihi commisit officium Vobis explicandi mentem suam de eisdem et illustrandi quasnam ex illis putet recipi non posse et quasnam e contra putet suffragationi vestrae proponendas.

A) IN GENERE

De emendationibus non receptis

Commissio censuit longe maiorem animadversionum partem esse omnino bonam et magnae utilitatis. Quapropter Patribus qui eas animadversiones fecerunt plurimas de eis gratias agit. Non paucae tamen ex eis non potuerunt in textum Schematis recipi, non quia bonae non sunt sed quia

a) aut pertinent ad alias Commissiones Conciliares;

b) aut, utpote nimis particularia tangentes, remittendae sunt ad Commissionem Postconciliarem quae curabit de Sacra Liturgia reformanda vel ad directoria pastoralia vel ad Ritualia particularia, quibus utilissimae esse poterunt;

c) aut tandem, attentius textum Schematis legenti patet eis iam satis provisum esse vel in Capite I de Principiis generalibus vel in ipso Capite III huius Constitutionis.

Hic possibile non est recensere omnes animadversiones quae in textum recipi non potuerunt. Quia tamen de eis deinceps ulterior explicatio non erit, sufficiat mihi quaedam exempla per quinque capita ordinata vobis proponere ut appareat quanta cum cura Commissio omnes animadversiones Patrum expenderit.

1. Exempla emendationum quae recipi non potuerunt quia ad alias



Commissiones Conciliares pertinent. Verbi gratia: quaestiones multae de aetate subiecti Sacramenti Confirmationis ad Commissionem de Sacramentorum disciplina pertinent; extensio facultatis Sacramentum Confirmationis administrandi iis qui in periculo mortis constituti sunt ad eandem Commissionem spectat; stipendia Missarum et taxa: ad Commissionem de disciplina Cleri et populi christiani; definitio materiae et formae Sacramenti Confirmationis: ad Commissionem de doctrina fidei et morum, etc.

2. Exempla animadversionum quae pertinent ad Commissiones postconciliares de quibus in decreto die 6 Decembris 1962 a Summo Pontifice approbato, aut ad Commissionem de Codice Iuris Canonici recognoscendo. Ex his multae revera pertinent ad Commissionem liturgicam sed ad illam postconciliarem de instauratione, quia descendunt ad nimis particularia de quibus Concilium non iudicat, cum ei sufficiat principia statuere. Exempla huiusmodi sunt multa: suppressio alapae in ritu Sacramenti Confirmationis; recognitio ultimae partis ritus Ordinationis; mentio actionis personalis Christi in ipso ritu administrationis Sacramentorum; praevisio Sacramentalium pro adulescentibus et iuvenibus; expressio sensus diei natalis in exsequiis, etc.

3. Exempla animadversionum quae pertinent ad Ritualia particularia, de quibus in articulo 63, olim 47, de Ritualibus revisendis, vel ad directoria pastoralia: exhortatio ut patrini ante Baptismum et Confirmationem ad Sacramenta Poenitentiae et s. Communionis accedant; animadversiones circa vestes confirmandarum; multae difficultates quae a Patribus notantur circa hunc vel illum articulum sed quae proveniunt ex adiunctis particularibus in determinatis regionibus occurrentibus. Auctoritatis episcopalis territorialis erit has speciales circumstantias prae oculis habere quando, ad normam articuli 63, olim 47, paranda erunt Ritualia particularia in quibus ea quae habebuntur in Rituali romano, intra limites ibidem statutos, aptari debebunt necessitatibus proprii territorii.

4. Exempla emendationum in Aula propositarum quibus tamen iam sufficienter provisum est, iudicio Commissionis, aut in Capite I de Principiis generalibus aut in ipso Capite III. Ita animadversionibus Patrum de sobrietate et simplicitate rituum necnon de limitibus aptationum provisum est art. 34, 37-39 Capituli I huius Constitutionis, iam a Patribus approbati. Unus Pater recte petit ut praeparatio pastoralis a rubricis indicetur, sed Commissio censuit hoc iam provisum esse articulo olim 47 (« *ne omittantur instructiones... pastorales et rubricales* »). Aliqui Patres dixerunt celebrationem Sacramentorum Confirmationis et Matrimonii intra Missam impossibilem esse propter practicas difficultates locorum vel temporum, sed Commissio respondet iam provisum esse articulis respec-



tivis per verba « *pro opportunitate* » (de Confirmatione intra Missam) et « *ex more* » (de Matrimonio intra Missam), sine impositione ullius strictae obligationis.

5. Paucas solum emendationes propositas Commissio censuit non esse rectas aut opportunas et ideo recipi non posse. Quaedam sunt contra explicitas petitiones aliorum Patrum, aliae non concordant cum principiis instaurationis Capitis I iam approbatis.

De emendationibus receptis quae tamen sunt minoris momenti

Ex emendationibus quae a Commissione de Sacra Liturgia receptae sunt, multae sunt minoris momenti et suffragationi Patrum non subiciuntur. Istaе in fasciculo Emendationum ad hoc Caput III *litteris italicis* imprimuntur, id est, in textu emendato iuxta emendationes receptas et nunc Patribus propositas.

Huiusmodi emendationes minores pertinent ad latinitatem, ad stylum vel verborum ordinem, ad clariorem expressionem eiusdem rei, etc., uti patet in textu emendato. Quaedam expressiones huius Capitis III Schematis ablatae sunt quia non sunt necessariae, ex. gr., « funditus » recognoscantur, « ex integro » recognoscantur, cum ad normam art. 25 huius Constitutionis, mense Decembri approbati, omnes libri liturgici recognosci debent.

B) EXPLICATIO SINGULORUM ARTICULORUM IN SPECIE

In sequentibus explicamus in specie quoad singulos articulos huius capitis praecipua puncta quae notatu digna videntur, praesertim ut de iis de quibus suffragium ferendum erit modo accuratiori ratio reddatur.

Titulus Capitis III

Quia Caput II agit « De Sacrosancto Eucharistiae Mysterio » simul in quantum est sacrificium et in quantum est sacramentum, emendatio tituli huius Capitis III in « *De ceteris Sacramentis et de Sacramentalibus* » a Commissione nostra recepta est.

Prooemium Capitis III, nunc numeri 59-62

Emendatio votanda 1^a

Plures Patres petierunt ut distinctio inter Sacramenta et Sacramentalia clarius exprimatur. Commissio proponit additionem novae paragraphi de Sacramentalibus, omissis in paragrapho prima huius prooemii verbis « et Sacramentalia ». Novus textus sic se habet:



« *Sacramentalia praeterea sancta Mater Ecclesia instituit. Quae sacra sunt signa quibus, in aliquam Sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur. Per ea homines ad praecipuum Sacramentorum effectum suscipiendum disponuntur et varia vitae adiuncta sanctificantur* ».

Aliae animadversiones

Ad satisfaciendum animadversionibus Patrum qui petierunt ut rationes et fructus sociales omnium Sacramentorum fusius explicarentur, Commissio censuit verba « *ad aedificationem Corporis Christi* » (Eph. 4, 12) et « *ad caritatem exercendam* » addenda esse primae paragrapho huius proemii.

In Schemate inveniuntur verba de necessitate instaurationis: « *Quod sane facilius fit, si ipsa, quoad eorum liturgicam structuram, quoad textus et ritus, ita ordinantur, ut res divinas, quas significant et suo cuiusque modo efficiunt, sic expriment ut a fidelibus possint facile percipi et actiosa atque communitaria participatione celebrari* ». Cum rationi instaurationis liturgicae in Capite I huius Constitutionis iam sufficienter provisum sit, Commissio de Sacra Liturgia censuit haec verba esse omittenda.

Simili modo, Commissio recepit proposita Patrum qui petierunt ut ratio instaurationis Sacramentorum et Sacramentalium (in ultima paragrapho huius proemii) melius ponatur, praecipue per omissionem verborum « *non sine fidelium detrimento* » et additionem verborum « *atque adeo opus sit quaedam in eis ad nostrae aetatis necessitates accommodare* ».

I - DE LINGUA VERNACULA ET DE RITUALIBUS REVISENDIS

Numerus olim 47 qui nunc 63 fit

Emendatio votanda 2^a

Multi Patres petierunt ut usus linguae vernaculae in celebratione Sacramentorum et Sacramentalium accuratius definiatur. Talis definitio exigitur a nova redactione art. 36 § 2 huius Constitutionis ubi affirmatur principium generale linguae vernaculae sive in Missa sive in Sacramentorum administratione sive in aliis Liturgiae partibus ampliorem locum esse tribuendum « *iuxta normas quae de hac re in sequentibus capitibus singillatim statuuntur* ».

Quoad ipsam extensionem usus linguae vernaculae in Sacramentis



et Sacramentalibus Patres tres sententias proposuerunt: nullus vel rarus sit usus linguae vernaculae; omnia, ipsis formis Sacramentorum inclusis, lingua vernacula dicantur; via media: omnia dicantur lingua vernacula excepta stricte dicta forma Sacramentorum.

Commissioni placuit hanc viam mediam esse tenendam quia optime respondet desideriis duarum ex tribus partibus Patrum et maxime accedit ad concessionem ab Apostolica Sede pluries iam factas in Ritualibus bilinguibus. Proponit ergo, post nova verba introductionis ad mentem art. 36 § 2 (« *Cum haud raro in administratione Sacramentorum et Sacramentalium valde utilis esse possit apud populum linguae vernaculae usurpatio, amplior locus huic tribuatur, iuxta normas quae sequuntur* »), formulam sequentem suffragationi Patrum:

« *In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest, sed quoad formam Sacramentorum, exceptis Matrimonio et aliis casibus expresse probatis, lingua latina generatim servetur* ».

Aliae animadversiones

In Commissione disceptatum est de formula adhibenda in articulo olim 47, nunc 63, circa approbationem Ritualium. Post disceptationem, Membra Commissionis unanimiter censuerunt retinendam esse formulam textus Schematis: *Actis ab Apostolica Sede recognitis*, hoc tamen sensu intellectam sicut dictum est in Relatione capitis primi, a Patribus iam approbati. Etiam hic habetur interventus duplicis auctoritatis, nempe, auctoritatis territorialis ad Rituale legitime condendum, et auctoritatis supremae Apostolicae Sedis ad Rituale recognoscendum. Ad mentem igitur Relationis capitis primi « ostenditur ius quod ab auctoritate inferiore legitime statuitur et ab auctoritate superiore agnoscitur et completur. Inde via media obtinetur, cum auctoritas inferior ius condat et auctoritas superior novam vim iuridicam addat » (cf. *Emendationes Capitis I*, fasc. IV, p. 15).

Commissio praeterea censuit quaedam verba addenda esse circa instructiones Ritualis romani, cum aliqui Patres petierint ut natura socialis et ecclesialis Sacramentorum melius exprimat. Necessitas harum additionum in Rituali romano, quae postea in Ritualibus particularibus includentur, hoc modo expressa fuit: « *ne omittantur instructiones, in Rituali romano singulis ritibus praepositae, sive pastorales et rubricales, sive quae peculiare momentum sociale habent* ».



II - DE SACRAMENTIS INITIATIONIS CHRISTIANAE

Numerus olim 48 qui nunc 64 fit

Cum Commissio censuerit nullam emendationem maiorem esse necessariam in hoc articulo de instauratione catechumenatus liturgici, ratione claritatis adduntur expressiones: a) « *de iudicio Ordinarii loci in usum deducendus* », et b) « *aptae institutioni* » loco « *instructioni* ».

Aliqui Patres suggerunt ut deleatur articulus iste de catechumenatu, cum censeant novum Ordinem Baptismi adultorum per gradus dispositum iam sufficere, sed alii dicunt Ordinem iterum recognoscendum esse propter complexitatem et difficultatem applicationis. Commissio nostra censuit articulum retinendum esse cum novus Ordo instauratus nullas emendationes textus includat.

Numerus olim 49 qui nunc 65 fit

In hoc articulo, de aptationibus ritus Baptismi in terris Missionum admittendis, Commissio posuit verba « *admitti liceat* », loco « *admittantur* », uti in pluribus aliis articulis huius Capituli, ne nimis urgeatur obligatio.

Numerus olim 50 qui nunc 66 fit

Cum nulla emendatio maioris momenti sit necessaria in hoc articulo circa recognitionem ritus ad baptizandos adultos, tamen ad clarius significandam naturam huius recognitionis Commissio mentionem fecit de ritu ampliori ad modum catechumenatus priorum saeculorum (« *solemnior* ») et de ritu breviori quando catechumenatus liturgicus Baptismum non praecedat (« *simplicior* »).

Numerus olim 51 qui nunc 67 fit

Commissioni videbatur nullam emendationem maioris momenti in hoc articulo circa ritum Baptismi infantium admittendam esse, sed verba « *recognoscatur et* » esse addenda, ne instaurationis huius ritus coarctetur ad ea, quae ex conditione infantis rationis nondum compotis postulantur.

Ad satisfaciendum tamen animadversionibus plurium Patrum qui desideraverunt mentionem explicitam obligationum parentum et patrino- rum, verba « *eorumque officia* » addita sunt.

Plures Patres petierunt ut ritus Baptismi parvulorum simplificetur omittendo vel reducendo varias caeremonias. Quae omnia, uti iam dictum est, sunt materia nimis particularis et pertinent ad Commissionem Post-conciliarem quae curabit de Sacra Liturgia reformanda.



Numerus olim 52 qui nunc 68 fit

Emendatio votanda 3^a

Iuxta petitiones plurium Patrum, Commissio proponit hanc additionem articulo de Ordine breviori Baptismi:

« *In ritu Baptismi ne desint accommodationes, de iudicio Ordinarii loci adhibendae, pro magno baptizandorum concursu* ».

Alioquin, iuxta animadversionem unius Patris, periculum habetur in his casibus « ut in Sacramenti administratione minister nimia fatigatione machinarum modo se gerat ».

Aliae animadversiones

De cetero verbum « *praesertim* » additum est ante « in terris Missionum » quia in multis regionibus « circumstantiae eaedem sunt ac in Missionibus, quin canonicè vel geographice vel etiam theologice agatur de Missionibus ».

Duo Patres petierunt ut mentio ritus brevioris a catechistis et aliis fidelibus adhibendi deleatur, quia sufficit ut omnes instruantur de modo administrandi Baptismum in casu necessitatis. Commissio censuit talem suppressionem non esse admittendam, praesertim cum Episcopi ex terris Missionum ritum huiusmodi desiderent. In textu non agitur de casu in quo aliquis invenitur in articulo mortis quando unusquisque potest eum baptizare, adhibita sola forma Sacramenti et applicata materia, sed agitur solum de periculo mortis absente sacerdote et diacono.

Numerus olim 53 qui nunc 69 fit

Emendationes minores huius articuli circa ritum conficiendum loco « *Ordo supplendi omissa* » et novum ritum pro neoconversis sunt tantum ad clarius exprimendam naturam huius instaurationis.

In primo casu, ritus debet significare infantem, qui ritu brevi baptizatus fuerit, iam receptum esse in Ecclesiam.

In casu neoconversorum iam valide baptizatorum, textus emendatus est ut melius significetur natura receptionis neoconversorum (« *quo significetur eos in Ecclesiae communionem admitti* »).

Numerus olim 54 qui nunc 70 fit

Sola emendatio huius articuli circa benedictionem aquae baptismalis in ipso ritu Baptismi est suppressio verborum « ex iusta et rationabili causa ». Finis huius numeri est: *a*) ut evitetur inconveniens de aqua putrescenti, et *b*) maxime, ut instauretur « integritas catecheseos et ritus ».



Numerus olim 55 qui nunc 71 fit

Nulla est emendatio maioris momenti huius articuli de ritu Sacramenti Confirmationis et mutationes textuales sunt tantum ad clarius significandam naturam recognitionis:

a) per additionem facultativam renovationis promissionum Baptismi ante Confirmationem;

b) per administrationem eiusdem Sacramenti, pro opportunitate, intra Missam; et

c) per uberiores formulas ad modum introductionis ritus Confirmationis extra Missam.

Uti iam dictum est, obiectionibus et difficultatibus practicis quas aliqui Patres expresserunt contra renovationem promissionum Baptismi et contra ritum Confirmationis intra Missam sufficienter provisum est, iudicio Commissionis nostrae, per verba facultativa (« *convenienter ... praecedet* » et « *pro opportunitate* »).

Unus Pater timuit ne, si inculcetur connexio inter Confirmationem et Baptismum, confusio inter haec Sacramenta in mente fidelium oriatur. A Commissione respondetur quod in mente hodiernorum fidelium latinorum certe non est timenda confusio inter Baptismum et Confirmationem cum haec Sacramenta tempore et circumstantiis tam diversis administrantur. E contra id valde est lugendum, quod fideles connexionem Confirmationis et Baptismi (et in genere trium Sacramentorum initiationis christianae) vix percipiant.

Propositio alterius Patris qui petit ut aboleatur institutum patrinatorum utpote nunc sine vera efficacia a Commissione recepta non est. Commissio censuit institutum patrinatorum esse retinendum, non solum quia est antiquissimum sed praesertim quia etiam hodie potest optimos fructus dare, dummodo parentes et patrini de vero christiano sensu huius muneris probe instruantur.

III - DE POENITENTIA

Numerus olim 56 qui nunc 72 fit

Plures Patres petierunt ut recognitio ritus Sacramenti Poenitentiae eius naturam praesertim sociale et ecclesiale clarius exprimat. Commissio censuit hanc emendationem recipiendam esse per insertionem verborum « *naturam et* » ante verbum « *effectum* ».



IV - DE UNCTIONE INFIRMORUM

Numerus olim 57 qui nunc 73 fit

Duae sunt emendationes maioris momenti huius articuli de Sacramento Unctionis: prior, de mutatione nominis; altera, de disciplina hodierna.

Emendatio votanda 4^a

Duo Patres noluerunt mutationem nominis huius Sacramenti in « Unctionem infirmorum ». Cum alii aliter senserint propter rationes pastorales, Commissio censuit nomen Extremae Unctionis retinendum esse sed Sacramentum etiam vocari posse, et quidem melius, Unctionem infirmorum, contra praxim sacerdotum et fidelium qui interpretantur verbum « extrema » quasi hoc Sacramentum recipi deberet solum in articulo mortis vel in exitu vitae.

Ad clarius significandam naturam huius Sacramenti, verbis Schematis: « non est per se Sacramentum morientium sed graviter aegrotantium » substituta sunt verba: « *non est Sacramentum eorum tantum qui in extremo vitae discrimine versantur* ».

Emendatio votanda 5^a

Secunda mutatio huius articuli confirmat praxim pastorem Sacramentum Unctionis tempore opportuno administrandi sequentibus verbis « *Proinde tempus opportunum id recipiendi iam certe habetur cum fidelis incipit esse in periculo mortis propter infirmitatem vel senium* ».

Illud intendimus ut reprimatur abusus hoc Sacramentum administrandi nonnisi his qui in articulo mortis sunt, vel in extremo periculo vitae versantur.

Ad hoc obtinendum, abstractione facta ab his omnibus quae circa subiectum huius Sacramenti a theologis disputantur, retenta sententia magisterii, a qua recedere non licet in Constitutione disciplinari, declaratur per verbum *certe* iam omnes condiciones tam validae quam licitae susceptionis huius Sacramenti haberi quando aegrotus incipit in periculo mortis esse.

Numerus olim 58 qui nunc 74 fit

Emendatio minor huius articuli de receptione Unctionis post Confessionem et ante Eucharistiam est tantum ad clarius explicandum:

a) manere ritus distinctos trium Sacramentorum uti nunc sunt in Rituali iuxta rerum adiuncta adhibendos; et



b) inculcare administrationem Unctionis ante Viaticum, secundum traditionem antiquissimam Ecclesiae, esse meliorem et regulariter, quando fieri potest, adhibendam, novo Ordine continuo praeviso.

Numerus olim 59 qui nunc 75 fit

Nulla est emendatio huius articuli circa aptationes ritus Unctionis.

Unus Pater timuit ne orationes innumerae pro diversitate conditionum infirmorum introducantur. Commissio respondet sufficere duas vel tres orationes diversas, ad normam a Commissione Postconciliari determinandam.

Alius Pater dixit non esse sacerdotum diiudicare de statu infirmorum. Commissio respondet sacerdotem debere iudicare: primo, utrum fidelis sit subiectum aptum, secundo, utrum sit forte in articulo mortis.

Numerus olim 60

Emendatio votanda 6^a

Ex desiderio plurimorum Patrum Commissio proponit suppressionem huius articuli circa iterationem Unctionis sacrae in diuturna infirmitate, ne Concilium intret in quaestiones disputatas.

V - DE ORDINE

Numerus olim 61 qui nunc 76 fit

Emendatio votanda 7^a

Iuxta animadversiones unius Patris Commissio de Sacra Liturgia censuit emendationem de impositione manuum ab omnibus Episcopis praesentibus in Consecratione Episcopali addendam esse, cum correspondeat sanae traditioni Ecclesiae quae in usu erat usque ad finem Medii Aevi, per formulam sequentem:

« *In Consecratione Episcopali impositionem manuum fieri licet ab omnibus Episcopis praesentibus* ».

Aliae animadversiones

Aliae emendationes huius articuli circa ritus Ordinis sunt minoris momenti. Verba « a peritis » ommissa sunt quia iam provisum est ubi de recognitione omnium librorum liturgicorum, Pontificali non excluso, facienda, peritis adhibitis, ad normam art. 25 huius Constitutionis.



VI - DE MATRIMONIO

Numerus olim 62 qui nunc 77 fit

Ad satisfaciendum animadversionibus Patrum de inculcandis mutuis obligationibus sponsi et sponsae, Commissio censuit verba « *et munera coniugum inculcentur* » addenda esse in hoc articulo de ritu celebrandi Sacramentum Matrimonii.

Unus Pater petit ut conficiatur ritus pro Matrimoniis mixtis, praesertim in Missionibus. Commissio censuit hanc emendationem non esse recipiendam.

Numerus olim 63 qui nunc 78 fit

Emendatio votanda 8^a

Unus Pater petit ut benedictio sponsis semper impertiatur etiamsi celebratio Matrimonii fiat extra Missam. Commissio de Sacra Liturgia censuit hanc additionem esse recipiendam per verba in fine articuli: « *et benedictio sponsis semper impertiatur* ».

Aliae animadversiones

Ratio emendationis circa aptationem benedictionis super sponsam est ut, sine mutatione radicali in natura antiquissimae benedictionis solius sponsae, saltem pars huius benedictionis quae loquitur de fidelitate coniugali servanda ad utrumque sponsum referatur.

VII - DE SACRAMENTALIBUS

Numerus olim 64 qui nunc 79 fit

Emendatio votanda 9^a

In recognitione Sacramentalium, ad mentem animadversionum duorum Patrum, Commissio nostra censuit quaedam Sacramentalia praevideri posse a laicis qualificatis administranda, ex. gr., a patribus vel matribusfamilias, catechistis, fratribus laicis lycea moderantibus, etc. Proponit ergo textum sequentem:

« *Provideatur ut quaedam Sacramentalia, saltem in specialibus rerum adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis congruis qualitatibus praeditis, administrari possint* ».

*Aliae animadversiones*

Alii Patres petierunt ut potestas Episcoporum nova Sacramentalia inducendi agnoscat. Commissio censet huic quaestioni iam provisum esse in Capite I huius Constitutionis a Patribus approbato, art. 37-40.

Numerus olim 64 qui nunc 80 fit

Emendatio votanda 10^a

Ad aliquomodo satisfaciendum animadversionibus Patrum qui petierunt ut ritus particulares religiosae professionis, etc., maneat, Commissio censuit versionem novam esse proponendam huius articuli:

« Conficiatur insuper ritus professionis religiosae et renovationis votorum, qui ad maiorem unitatem, sobrietatem et dignitatem conferat, ab iis qui professionem vel votorum renovationem intra Missam peragunt, salvo iure particulari, assumendus ».

Hoc modo explentur desideria Episcoporum ut spiritus solidus liturgicus in familiis religiosis inculcetur necnon commendatio ritus professionis et renovationis votorum intra Missam, sine turbationibus eorum qui malunt hos ritus extra Missam vel sine Missa.

Aliae animadversiones

Emendatio altera huius articuli, suffragationi non subiecta, pertinet ad optatam instaurationem ritus Consecrationis Virginis, quo usus antiquus, hodiernis circumstantiis aptatus, latius et saepius servetur.

VIII - DE EXSEQUIIS

Numerus olim 66 qui nunc 81 fit

Sola emendatio huius articuli circa ritum exsequiarum est additio minoris momenti verborum *« etiam quoad colorem liturgicum »*, ut aptatio extendatur ad colorem liturgicum, ad mentem Patrum qui hoc petierunt.

Numerus olim 67 qui nunc 82 fit

In hoc articulo de exsequiis parvulorum deleantur verba *« ex integro »* quae, iudicio Commissionis nostrae, non sunt necessaria cum omnes ritus in libris liturgicis, ad normam art. 25 huius Constitutionis iam approbati, recognoscendi sint.



4 — PATRUM ORATIONES

De Ecclesia, cap. II (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI

*Archiepiscopus Ianuensis**Venerabiles Patres,*

Ne vos taedeat me iterum loqui de collegialitate episcoporum, in art. 16 huius capituli.

Quaestio tota non est in termino « conlegium episcoporum », sed in definitione seu substantia conlegii episcoporum. Hoc est videndum: in quonam consistat hoc conlegium?

Antequam breviter respondeam, recolendum est criterium theologicum: affirmare possumus tantum id quod in fontibus theologicis invenimus. Fons theologicus non est tantum Sacra Scriptura, nec tantum Patres priorum saeculorum. Ecclesia hodie vivit sicut vixit prioribus saeculis et hodie in suo consensu et in suo magisterio testificat sicuti quovis saeculo testata est.

Praeterea conclusiones a documentis ita faciendae sunt ut nihil sit in conclusionibus quod antea non sit totum in praemissis, iuxta notissima illa logicae principia: latius hos quam praemissae conclusio non vult; peiorem semper sequitur conclusio partem, etc.

Proinde si aliquid volumus deducere ex fontibus circa conlegialitatem episcoporum, vel antea habemus conceptum « conlegii », vel melius ipsam substantiam conlegii ex fontibus deducimus. Facile est probare apostolos esse quoddam corpus, habuisse potestatem et missionem, esse super alios, successores apostolorum esse episcopos, etc. Sed aliud est probare episcopos constituere conlegium.

Revera episcopi conlegium constituunt quia hoc demonstrat saltem praxis Conciliorum oecumenicorum, in quibus episcopi sine dubio fuerunt et sunt cum et sub Romano Pontifice magistri et legislatores *in Ecclesia*.¹ Per praxim Conciliorum possunt interpretari maiori claritate et certitudine cetera documenta, praesertim illa quae ex sese sufficientia non essent ad demonstrandum.

Hisce praelibatis, quid ergo eruitur de conlegio episcoporum?

a) Conlegium existit, quia Concilium saltem existit.



b) Ubi cumque verificantur condiciones, quibus est verum et legitimum Concilium, conlegium existit.

c) Quod est aliquo momento in actu, est semper iisdem conditionibus saltem in potentia.

Tamen haec veritas componenda est cum alia, quae est certa, de vero primatu et de plenitudine potestatis in Vicario Christi.

Hic Vicarius Christi:

a) non est tantum caput sed et fundamentum Ecclesiae modo peculiari et unico, alteri non communicabili; habet claves regni caelorum et, etiam solus, potest ligare et solvere, i. e. etiam sine aliorum concursu. Est caput omnino peculiaris rationis;

b) sine eo Capite non amplius conlegium est et agit. Hoc modo non ipsum aliquid accipit a conlegio sed conlegium eo indiget ut sit et agere possit.

Quapropter ut veritates cohaereant inter se, peto ut pag. 27, n. 16, linn. 16-17, supprimantur verba *indivisum subiectum*. Etenim, post dicta, haec verba apparent evidenter aequivoca et ex his quis posset inferre, posse episcopos aliquando cogere Papam, quod esset contra rationem huius specialis Capitis et contra definitionem constitutionis *Pastor Aeternus*.

Nullus est in hac aula qui velit reformare Vaticanum I, sed omnes volumus in fidelitate veritatis certae ultra progredi in cognitione et applicatione verbi Dei.

Adhaereo praeterea his quae dixit heri exc.mus ep. Signinus de textu pag. 30, lin. 1.

Peto ut velit competens commissio, quatenus opus est, ita recognoscere textum ut veritas de episcopis pateat luculentius quin aliquid inferri unquam possit contra verum primatum et plenitudinem potestatis Romani Pontificis.

De sacramentalitate episcopatus non video iam quomodo sit ambi-gendi locus; manere tamen debet post definitionem tridentinam unitas sacramenti Ordinis, successive tributi per diversos gradus, et debet in-super manere — saltem uti patet ex praxi — distinctio inter radicalem potestatem per sacramentum tributam et eius exercitium datis legitimis conditionibus.

De diaconatu hoc patuit ex discussione in aula: quod quaestio non totam Ecclesiam interest, dum servare omnino caelibatum totam Ecclesiam interest. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Ecclesiae.



2

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Venerabiles Fratres,

Sententiae, quas proponere intendo, referuntur ad cap. II, et quidem ab eius parte 18 usque ad finem.

Tota fere disputatio, quam in hac aula conciliari de Ecclesia hucusque egimus, respiciebat Ecclesiam *constitutam in condicionibus ordinariis*, gaudentem iuribus, privilegiis et mediis necessariis ad finem. Huiusmodi Ecclesia apparet populo Dei non solum uti *societas perfecta*, ornata plenitudine vitae interioris, sed pariter uti *societas externa*, cui praesto sunt media communia societatis et quidem societatis cultui religionis faventis, inter quae eminent opera Actionis Catholicae, etc.¹

Est tamen, nostris temporibus, populus Dei qui, quamvis constituat partem Ecclesiae, iam non exhibeat signa societatis perfectae neque externae, sed potius continetur *societate interiore, absque institutionibus ordinariis*, quae in omni societate bene ordinata cultui religionis quam maximum praebent auxilium.

Signa externa visibilis Ecclesiae, aut iam non existunt, aut valde circumscripta apparent. In hoc casu Concilii est ostendere populo Dei Ecclesiam Christi in sua *constitutione interiore*, i. e. supranaturali, quae dici solet *Corpus Christi mysticum*.

Quae nunc exponam eo tendunt, ut prosint populo Dei, viventi in *condicionibus extraordinariis et insolitis*, quae differunt ab ordinario statu rerum.

Momentum princeps omnis de Ecclesia disputationis, de eius indole, missione, opere et intima constitutione sociali, datur in verbis Christi Domini ad discipulos: Ite et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Hisce verbis indicantur omnia Ecclesiae elementa, ita ut recte schema nostrum notaverit: « Sic apparet universa Ecclesia sicuti de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata » (cf. cap. I, pag. 8, versus ultimus ...²).

Utrumque, populo Dei, qui vitam agit in conditionibus insolitis Ecclesiae, tradatur et etiam inculcetur intima eius connexio cum Sanctissima Trinitate. Etenim praeceptum Domini: « Docete omnes gentes... », generat vinculum sociale, et quidem essentielle et constitutivum interioris naturae supranaturalis Ecclesiae, quod est inhabitatio Sanc-



tissimae Trinitatis in anima christiani, qui confitetur fidem in Deum unum et Trinum, eumque colit et ex eo vivit.

Haec essentialis veritas, profluens ex baptismo, est et remanet semper essentielle vinculum unitatis Ecclesiae. Est pariter essentielle mandatum totius ordinis hierarchici: episcoporum et sacerdotum, in quo partem habet populus Dei; est insuper essentialis relatio inter ordinem hierarchicum et populum Dei; est denique essentielle vinculum unitatis inter membra Corporis mystici Christi...³

Inde deducuntur conclusiones indolis pastoralis, maximi momenti pro populo Dei qui vivit in Ecclesia, in conditionibus insolitis, quia hoc modo tuetur et conservat *sensum unitatis* cum Sanctissima Trinitate, deficientibus saepe saepius vinculis ordinis *canonici*, praesertim cum desint episcopi, sacerdotes, exinde desideratur consuetum servitium pastorale.

Idem dicendum de notione Ecclesiae militantis. Conceptus est quidem theologicus et indicat, absque dubio, maxima merita huius Ecclesiae in universa familia humana. Nolumus ignorare quidquid doceat theologia dogmatica, fundamentalis vel ius publicum Ecclesiae, sed non possumus omittere *statum realem*, in quo inveniuntur pluries centena millia filiorum Ecclesiae Dei.

Notio vinculi iuridici tunc evanescit, etiamsi quis sustinere voluerit principium « Ecclesia regitur suis iuribus »; quia statim obicitur quaestio, ubi et in quibusnam conditionibus haec iura appellari et urgeri possint.

Fere ignorantur leges et iura Ecclesiae, ubicumque omnia sibi vindicat Status civilis, usque « os, linguam, mentem, sensum, vigorem » uniuscuiusque civis. Tali in casu, Ecclesia apparet homini nostrorum temporum, cum nempe Status civilis omnia sibi iura vindicet, tamquam societas indolis interioris, quae non obstantibus forma et mensura materialibus, quae adhuc permanent, ab eo non attingitur, quia deest possibilitas fere omnis communicationis.

Huiusmodi notiones, uti dioecesis, paroecia, episcopus, parochus, privantur fere vi iuridica. Non remanet nisi aedes sacra, ubi quis aliquoties intrat ad orandum, sed non semper in pluribus regionibus invenit sacerdotem, quem patrem spirituales vocare posset. In huiusmodi conditionibus, principium pastorale consuetum in Ecclesia, societate perfecta, non potest habere aliud fundamentum nisi doctrinam de Corpore mystico Christi, praesertim eius partem, quae refertur ad vitam Sanctissimae Trinitatis inhabitantis animam baptizati.

Possumusne in tali casu adhuc sermonem instituere de Ecclesia militanti, etiamsi rationes in hac aula adductae habeant suam vim et mo-



mentum psychologicum? Potius dicenda est Ecclesia vivificans et sanctificans.

Unionem cum Ecclesia, pergrandis multitudo baptizatorum conservat nonnisi in verbis « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », i. e. in nomine Sanctissimae Trinitatis, quae animam eorum inhabitat.

Communicatio cum ordine hierarchico reducitur ad simplicem commercium cum patre spirituali, quod tamen aliud est quam illud quod intercedit cum ministris Status, a quibus saepe saepius pendet penitus homo nostrorum temporum. Attamen homo baptizatus confidit Ecclesiae, etiamsi remotae, quia Ecclesia ipsi loquatur de eius iure ad veritatem, ad libertatem, ad exercitium iurium, ad caritatem, sicuti Papa Ioannes XXIII, felicitis et piae memoriae, ipsi est locutus in Encyclica *Pacem in terris*. Quae Encyclica animos omnium movit, etiam infidelium.

Sed idem homo baptizatus et — sit venia verbo — « nationalizatus » abhorret a Statu civili a quo perplures passus est iniurias, proinde non amat, ut comparentur inter se Ecclesia societas perfecta et Status civilis. Immo huiusmodi comparatio videtur homini nostri temporis, qui ardentem desiderat quietem refectionemque spiritus, durior, deterior, et pro Ecclesia iniuriosa. Etenim Ecclesia est et remanet pro omnibus lumen populorum, et spes unica *in hisce conditionibus*.⁴

Hae sunt rationes, ob quas timemus ne notio Ecclesiae militantis, salva semper traditionali nomenclatura, ob dicta momenta psychologica, supplantet notionem magis essentialem Ecclesiae, nempe Ecclesiae vivificantis (vita - lux hominum) et Ecclesiae sanctificantis (sancti estote).

Homines nostrorum temporum, dono fidei gaudentes, abhorrent ab omni lucta, quia saepe saepius, nisi dicam ordinarie, vincuntur in hisce luctis. Ipsi tamen malunt confidere Ecclesiae, quae dat vitam et sanctitatem, quae defendit iura naturalia hominum, quae inspirat et format animos ad sustinendum et defendendum ordinem naturalem, moralem et sociale, et praesertim supranaturalem in mundo.

Conditiones insolitae, in quibus vivunt centies milia hominum baptizatorum in sinu Matris Ecclesiae, inducunt me ut coram vobis, Patres conciliares, loquar, tentans convertere sensum caritatis in favorem populi Dei vitam degentis in insolitis condicionibus, in sinu tamen Ecclesiae, quae eos spe vivificat et interne sanctificat. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ opera caritatis, variae institutiones et associationes catholicae, necnon ius imprimendi et diffundendi libros de religione (vulgo « libera stampa ») et alia. ² cf. nota 7 pag. 15. ³ cf. supra citatam notam 7 in pag. 15. « Societas unitatis Ecclesiae Dei, extra quam non fit remissio pecca-



torum, tanquam proprium est opus Spiritus Sancti, Patre sane et Filio cooperantibus, quia societas est quodammodo Patris et Filii ipse Spiritus Sanctus » (in schemate, notae in pag. 15). ⁴ deest.

Moderator: Legatur a secretario generali prima emendatio *de Liturgia*.

Secretarius generalis: Cap. III schematis *de sacra Liturgia:* Ad prooemium. Prima emendatio: pag. 179 (quae respondet pagg. 19 et 20, n. 60, huius fasciculi iam distributi) ... [*cf. pag. 548*]. Suffragatio fit per *placet* vel *non placet*.

3

BEAT. MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Loquor etiam nomine episcoporum Ecclesiae Maronitarum.

Neminem fugit problema de collegialitate episcopali, et speciatim de relatione potestatis iuris divini primatus Summi Pontificis, et potestatis iuris divini collegii episcoporum, esse huius Concilii Vaticani II, principale et longe difficile. Liceat mihi aliquas de his quaestionibus animadversiones facere.

1. Apostoli a Christo electi, seu duodecim, ut collegium instituti sunt cum Petro Capite. Sunt verum Ecclesiae fundamentum, secundum voluntatem ipsius Christi, et, ab eo, qui semper manet caput Corporis Ecclesiae, receperunt missionem et potestatem.

2. Illa potestas et missio non fuerunt ad instar doni transeuntis, sed ad modum muneris stabilis in ipsa Ecclesia. Ideoque apostoli sibi elegerunt successores, ut in triplici ministerio, docendi, sanctificandi et regendi, voluntati Christi salvificae fideles inveniantur.

3. In ipso collegio episcoporum, apostolorum successorum, singularis episcopus habet potestatem suam episcopalem ut membrum huius collegii, sicut et ipsum caput, successor Petri, suam propriam potestatem habet ut caput collegii.

4. Ideoque singularis episcopus est a Christo mandatus, non a Summo Pontifice delegatus; attamen *sub* Petro stat, quia est membrum huius collegii, quod est institutum cum capite et sub capite.

5. Hoc collegium episcoporum, qua collegium, una cum capite, potestatem habet in universam Ecclesiam. Membra et caput eidem mis-

sioni inserviunt, sed unusquisque secundum proprium suum munus, sive membri, sive capitis.

6. Hoc collegium ad imaginem Corporis mystici, quod est Ecclesia, considerandum est: diversitatem et unitatem populi christiani significat.

7. Collegium episcoporum, una cum suo capite, tum in Concilio, tum extra Concilium, «suprema pollet in universam Ecclesiam potestate»...¹. Exercet insuper in Ecclesia supremum magisterium.

8. Summus Pontifex, successor Petri et Christi Vicarius, ut caput totius Ecclesiae et collegii episcoporum constitutus est, ut sit in Ecclesia perpetuum unitatis principium, et «*ut* episcopatus ipse, *unus* et *indivisus*» sit, ut dicit Concilium Vaticanum I...²

Ut caput collegii episcoporum, Summus Pontifex exercet suum munus doctrinale et iurisdictionale in collegio et pro collegio. Proinde, eius iurisdicatio est plena et suprema, in totam Ecclesiam et in singulos episcopos.

9. Summus Pontifex, loquens *ex cathedra*, ea infallibilitate pollet, qua Christus Ecclesiam ut corpus episcoporum in definienda doctrina de fide et moribus, ut dixit Vaticanum I...³, instructum voluit. Si vero Summus Pontifex, ex sese, non ex consensu episcoporum vel fidelium infallibiliter docet, non potest alia Ecclesia credenda praebere nisi revelationem quae in ipsa Ecclesia iam exstat, et sive explicitae, sive implicitae a corpore episcoporum authentice docetur, et ab Ecclesia discente oboedienter recipitur.

10. Singularis episcopus, tamquam pastor et doctor suae Ecclesiae, habet quidem veram potestatem iurisdictionis, etsi limitatam, quatenus dependet a Romano Pontifice et toto corpore episcoporum; et est doctor authenticus, licet singularis non infallibilis; sed totam hanc suam propriam potestatem habet in quantum est membrum collegii, et eatenus dici potest participare potestatem collegii, cuius est membrum.

11. Episcopi exercent suum munus ordinarium sub Romano Pontifice, non nomine Pontificis Romani ut vicarii eius, sed ut vicarii Christi et membra collegii iuris divini, ut iam clarissime docuit ipse Pius IX etiam post Concilium Vaticanum I in sua epistola *Mirabilis illa*...⁴

12. Ideoque iurisdicatio immediata Summi Pontificis in singulos episcopos et dioeceses non potest ita limitare, nec vere limitat, ius episcopi Ecclesiae particularis, ut hic episcopus suam propriam potestatem, nomine proprio, in sua dioecesi exercere iam non valeat, quamdiu talis episcopus legitime regit suam illam dioecesim.

13. Solidaritas ambarum potestatum, «quarum una principalior est altera», ut dixit Leo Papa XIII, etiam in regenda parte populi Dei, seu dioecesis, manifestari debet. Illa manifestatio consistit in hoc



vinculo supernaturali caritatis « quo et caput et corpus episcopalis collegii intime connectuntur », ut clare enuntiatur in schemate de dioecesium regimine...⁵

Una vero ex multis circumstantiis in quibus illud vinculum exprimeretur, esset ut episcopi potestatem episcopalem magis ac magis exercent, et cum Petro et sub Petro, collegii capite, se sentiant, ut, gregem particularem regendo, universae Ecclesiae evangelizationis responsables.

14. Omnia haec quae dixi, in oecumenismi authentici et pastoralis doctrinae bonum cedunt, et doctrinam catholicam de primatu et infalibilitate Summi Pontificis magis pro fratribus nostris non-catholicis illustrent eisque magis accessibilem reddunt, quin reducatur dualitas illarum ambarum potestatum iuris divini, scil. primatus Summi Pontificis et collegialitatis episcoporum, sive in episcoporum bono, sive in bono Romani Pontificis, minuendo privilegia et praerogativas alterutrius et tollendo authenticam et veram illorum significationem et substantiam.

Remanent ultiores quaestiones discutiendae a theologis, sicuti istas quaestiones libere discutiunt, ut quaestiones relationis inter Concilium et Summum Pontificem.

Sed ultiores istae discussiones, nec debent, nec possunt ipsum factum utriusque potestatis eiusque pacificam coexistentiam obscurare.

Haec est, in omnibus quae dixi, mea humilis sententia, quam iudicio Ecclesiae submitto. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (CIC. 228). ² (Dz. 1821). ³ (Dz. 1839).
⁴ (Dz. 3112). ⁵ (pag. 7).

Moderator: Legatur a secretario secunda emendatio *de Liturgia*.

Secretarius generalis: Ad art. 47. Emendatio secunda: pag. 179, linn. 26-28 (quae respondent pag. 20, n. 63 huius fasciculi) ... [cf. pag. 548].



4

Exc.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

Venerabiles Patres conciliares,

Loquor nomine duodecim episcoporum ex Hispania.

Mirandum quidem est quod n. 15 cap. II ex tredecim lineis diaconis in specie dicatis, tantum sex naturam *diaconatus* exponere intendat. Inde maxima paupertas theologica huius paragraphi. Revera:

1. In schemate nihil dicitur de caractere sacramentali ordinationis diaconalis. Hoc autem affirmandum est post solemnem promulgationem sacramentalitatis episcopatus et post denuo affirmatam sacramentalitatem presbyteratus.

2. Schema nimis ex angulo iuridico diaconatum considerat, quod minus proprium est constitutionis dogmaticae. E. g., in notula 25 tantum citantur canones C.I.C.; diaconi appellantur ministri baptismi, sed extraordinarii et quidem baptismi solemnisi. Iamvero circa diaconatum fontes existunt pretiosissimi: Sacra Scriptura, Patres apostolici, antiquissima Ecclesiae traditio, documenta liturgica.

3. Circa restorationem diaconatus stabilis, prae oculis habita Ecclesia universali, dici debet Concilium portam claudere non debere futurae diaconatus renovationi, in locis ubi id Ecclesia expedire censuerit. Attamen circa obligationem caelibatus, clare determinetur quinam sint praepositi Ecclesiae quorum erit dispensationem concedere, cum in n. 26 cap. III, praepositi intelligantur pastores Ecclesiae singillatim sumpti, et quidem non exclusis presbyteris, et in lin. 29 n. 19 cap. II sermo fiat de praesulibus qui sunt episcopi singillatim sumpti. Meo iudicio, tales praepositi Ecclesiae sola debet esse Apostolica Sedes. Hoc tamen retinendum: in re tanti momenti, verborum claritas est omnino indispensabilis.

4. Mirandum tandem etiam est quod schema in eodem n. 15 nihil dicat de ordinibus minoribus, qui tamquam diaconatus explicatio seu quaedam prolongatio considerandi sunt. Iam Concilium Tridentinum, ob rationes theologicas et praesertim pastorales, hanc quaestionem aggressus est. Immo et discussioni subiecit quoddam schema in quo ordinum minorum functiones necessitatibus tunc temporis accommodabantur. Patrum autem intentio haec erat, testante theologo tridentino Petro de Soto, illos ordines suppressere quorum functiones iam obsoletae dicendae erant. Tamen Tridentinum laborem in hac re completum

perficere non potuit; sed problema theologicum et pastorale adhuc manet insolutum nostris temporibus. Ergo, eo quod pertractatur et desideratur renovatio diaconatus, quaestio etiam agitetur de ordinibus minoribus, qui exigentiis nostrorum temporum, sive in eorum numero sive in eorum functionibus, aptari omnino debent.

Circa collegialitatem episcoporum de qua nn. 16 et 17 cap. II, vellem tamquam argumentum positivum desumptum ex duobus documentis dogmaticis, illa breviter exponere quae iam in doctrina de fide ab Ecclesia definita inveniuntur et a quibus recedere nefas est.

1. Concilium Vaticanum I, antequam supremam et plenam potestatem iurisdictionis magisterii Romani Pontificis in universam Ecclesiam aperte promulgaret, hoc definivit: « ... fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemniter iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». Ex actis autem eiusdem Concilii constat verba « universali et ordinario magisterio » designare magisterium ordinarium, quod exercet episcopatus totius Ecclesiae per orbem dispersus.

Ergo pertinet ad fidem divinam et catholicam solemniter definitam episcopatum in communionem cum Romano Pontifice habere ex iure divino magisterium supremum infallibile ac proinde auctoritativum in Ecclesia, sive episcopatus doceat congregatus in Concilio, sive per orbem dispersus. Iamvero haec potestas suprema magisterii — eo quod est auctoritativa et authentica — concipi non potest sine vi obligandi. Episcopatus ergo cum et sub Romano Pontifice, habet Ecclesiae supremam potestatem hierarchicam, congregatus in Concilio vel per orbem dispersus. Hanc supremam autem potestatem hierarchicam, non habent episcopi singuli, uti singuli, sed episcopatus quatenus unum corpus efformat.

Inde deducitur episcopis non competere supremam potestatem hierarchicam Ecclesiae, nisi in quantum sunt membra corporis episcopalis, sub et cum eius capite; immo et hanc supremam potestatem eos exercere non posse, nisi in consensu omnium — moraliter universali — inter se et cum Romano Pontifice.

2. Constitutio apostolica *Munificentissimus Deus* Pii XII docet ex universali consensu episcoporum certum ac firmum sumi argumentum quocum probatur aliquam veritatem esse a Deo revelatam, a. v., consensus magisterii ordinarii totius episcopatus per orbem dispersi et cum Romano Pontifice uniti est infallibilis et auctoritativus etiam ante solemnem Romani Pontificis definitionem.

Huiusmodi autem consensus ostendit et supponit episcopos docere



et regere ut constituentes illam unitatem hierarchicam, quae est episcopatus.

Ergo concludendo: ex doctrina Vaticani I et ex constitutione apostolica *Munificentissimus Deus* circa episcopatum ut subiectum potestatis supremæ Ecclesiae — cum et sub Romano Pontifice — apparet episcopos habere et exercere hierarchicam potestatem, tamquam membra corporis episcopatus. Si autem episcopi revera unum corpus hierarchicum efformant, certum est hanc realitatem recte exprimi posse per verba « collegium » et « collegialitas ». Ideo structura hierarchica Ecclesiae est et manet semper ex iure divino primatialis simul et collegialis. Dixi.

Textus scripto traditus:

N. 15 cap. II nostri schematis agit *de presbyteris et diaconis*. Et sane, aliter fieri non potuit, cum caput hoc, quid doctrina catholica de Ecclesiae hierarchia sentiat, et in specie de episcopatu exponens, oblivisci nullo modo poterat presbyteratus aut diaconatus. Revera, testante S. Ignatio martyre, sine episcopo, presbyteris et diaconis, non est Ecclesia (*Ad Trall.* 3, 1).

Attamen, n. 15, solas 13 lineas diaconis in specie dedicat. Ex his autem, 8 quaestionem aggreduuntur de diaconatu stabili in futurum instaurando, et 6 naturam diaconatus exponere intendunt. En simplex observatio, quae convenientiam innuere videtur melioris atque accuratioris redactionis textus.

Ad hoc autem, suo tempore faciendum, sequentes observationes humiliter proponere audeo.

1. Mirandum quidem est quod nihil dicatur in schemate *de caractere sacramentali ordinationis diaconalis*. Quod explicite affirmari debuerat, post solemnem promulgationem sacramentalitatis episcopatus factam in n. 14 et post denuo affirmatam sacramentalitatem presbyteratus in eodem n. 15.

Iamvero, hodie omnes theologi concorditer tenent ritum ordinationis diaconalis esse sacramentum. Idque constat, a) ex traditione dogmatica, in qua diaconatus apparet institutus ab apostolis ex dispositione divina, tamquam gradus hierarchicus simul cum presbyteris; b) ex documentis liturgicis, iuxta quae diaconatus, sicut presbyteratus, confertur impositione manuum, qua datur Spiritus Sanctus; c) ex Concilio Tridentino, quod in sess. XXIII, can. 2, 3, 4 et 6 saltem innuit diaconatus sacramentalitatem. De cetero haec doctrina sine dubio supponitur a Pio XII, in constitutione apostolica *Sacramentum Ordinis*.

Desiderandum ergo est, pro ipsorum diaconorum honore in Ecclesia Christi, ut diaconatus sacramentalitas in textu clare affirmetur.

2. Verba schematis nimis *ex angulo iuridico* diaconatum considerare videntur. Quod quidem minus proprium est constitutionis dogmaticae. Revera, quando de functionibus diaconorum in textu sermo fit, in notula 25 *tantum* citantur canones C.I.C.; praeterea diaconi appellantur ministri Baptismi, sed *extraordinarii* et quidem Baptismi *solemnis*; tandem alia officia memorantur a competenti auctoritate in posterum assignanda, per positivam legis determinationem. Quae omnia certe iuridica appellanda sunt.

Iamvero, circa functiones diaconorum proprias multa continentur et in Sa-



cra Scriptura et in antiquissima Ecclesiae traditione. Revera in Actibus Apostolorum diaconi apparent praedicatores (7, 2-53; 8, 5; 21, 8-14), ministri Baptismatis (8, 14) et administratores bonorum ecclesiasticorum in servitio mensae (6, 2-6). In documentis autem primitivae traditionis ecclesiasticae diaconi describuntur, e. g. ut distribuentes Eucharistiam fidelibus (cf. S. Iustin., *Apologia* I, 65-67) et tamquam activam partem agentes in Liturgia, etc. Immo et veluti testis venerabilis traditionis liturgicae, citari posset Pontificalis Romanus, qui diaconos appellat « comministros et cooperatores Corporis et Sanguinis Domini » et eorum functiones esse dicit « ministrare ad altare, baptizare et praedicare ».

Quapropter optandum est ut schematis textus definitivus ita componatur, ut diaconatus in tota sua plenitudine theologica appareat, quam secum ferunt et ordo collatus et gratia recepta et ministeria commissa. Si ita textus ditior fit, diaconi coram populo fidei apparebunt, etsi « non ad sacerdotium, sed ad ministerium » ordinati, iuxta verba documenti « Statuta Ecclesiae antiqua » (c. 4), utique tamen tamquam « sacerdotio ex officio deservientes », prouti loquitur Concilium Tridentinum (sess. XXIII, can. 2).

3. Circa *restorationem diaconatus stabilis*, multa magni momenti, et quidem in sensu affirmativo, audita sunt in aula conciliari. Revera, una ex rationibus in favorem renovationis illa est quae allata iam fuit a Conc. Tridentino (sess. XXIII, cap. 17, *de reform.*), sc. « ut ministeria non nisi per constitutos in ordinibus exercentur ». Alia prostant argumenta: reales nempe exigentiae apostolatus nostrorum temporum, praesertim in illis regionibus ac dioecesibus in quibus defectus sacerdotum difficiliorem reddit curam animarum. Tenendum ergo est — si *universus orbis catholicus* prae oculis habeatur — Concilium portam claudere non debere futurae diaconatus renovationi, ubi id Ecclesiae expedire censuerit.

Attamen circa obligationem caelibatus pro talibus diaconis, solummodo notare vellem aliqua nostri schematis verba aequivocatione laborare. Asseritur enim in lin. 39: « quo in casu *ad praepositos Ecclesiae* spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ». Iamvero, quinam sunt hi *praepositi Ecclesiae*? Si linn. 39 et 8 n. 26 cap. III conferantur, *praepositi* intelleguntur pastores Ecclesiae *singillatim sumpti*, et quidem non exclusis ipsis presbyteris. Si attendatur ad lin. 29 n. 19 nostri cap. II apparebit ibi sermonem fieri de *praesulibus*, qui certe sunt episcopi, etiam *singillatim sumpti*.

Quare, ex ipsis verbis nostri schematis, clare non apparet utrum futuros diaconos stabiles dispensare a lege caelibatus relinquendum sit Apostolicae Sedi, vel singulis episcopis, vel episcopis collegialiter sumptis, ex. gr. in conferentiis nationalibus. Si *iuridice* quaestio haec consideretur vix negari potest eam constituere, *natura sua*, veram *causam maiorem*, supremae Ecclesiae auctoritati reservatam. Attamen unum certe verum manet: in re tanti momenti, verborum claritas omnino exoptanda est.¹

¹ Ratio qua *quaestio de dispensabilitate legis caelibatus* pro futuris diaconis consideranda sit *vera causa maior natura sua*, haec est: quia agitur de disciplina *nova*, constanti traditioni ecclesiasticae occidentis contraria.

Revera, a) integra atque indefectibilis traditio Ecclesiae latinae diaconos semper habuit tamquam *homines sacros*, iisdem qualitatibus moralibus praeditos ac episcopi ac presbyteri: constat e. g. ex *1 Tim 3*, 8-13, quae easdem conditiones morales exigit pro diaconis et pro episcopis, praesertim quod sint « unius uxoris viri ».



4. Tandem forte desiderandum esset ut textus nostri schematis, in eodem n. 15, aliqua diceret *de ordinibus minoribus*, qui tamquam diaconatus explicatio seu quaedam prolongatio considerandi sunt. Sane Concilium Tridentinum iam voluit « ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae et pluribus in locis aliquando intermissae, in usum iuxta sacros canones revocarentur, nec ab haereticis tamquam otiosae traducarentur ». Et, hac de causa, Patres decreverunt « ut in posterum huiuscemodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus exercerentur » (sess. XXIII, cap. 17, *de reform.*). Praeter hanc autem rationem theologicam, Concilium Tridentinum veram praeoccupationem pastoraalem habuit: hac de causa Patres discussioni subiecerunt quoddam schema, in quo ordinum functiones necessitatibus tunc temporis accommodabantur. Immo et Patrum intentio ac intimum desiderium sequens erat, attestante theologo tridentino Petro de Soto: illos ordines minores, si opus esset, suppressere, quorum necessitas iam amplius non existeret.

Iamvero Concilium Tridentinum laborem in hac re completum perficere non potuit: sed problema theologicum et pastorale hodie remanet adhuc insolutum. Revera, hierarchia ecclesiastica episcopis, presbyteris et ministris constat: « consentaneum enim fuit — sunt verba Concilii Tridentini (sess. XXIII, cap. 2 *de reform.*) — ... ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent ». Ex hoc autem deducendum videtur, ex una parte, conveniens esse ut ministeria ab illis fungantur, qui gratiam ad id habeant in ordinatione collatam et, ex alia parte, ut illi ordines minores supprimantur, quorum functiones iam obsoletae dicendae sunt.

Quapropter, prae oculis habitis his principiis, perutile esset in n. 15 cap. II ordinum minorum mentionem facere, qui quidem et *renovari* et *exigentis nostrorum temporum*, sive *in eorum numero* sive *in eorum functionibus*, aptari deberent. Hoc pacto, et pristini mores Ecclesiae restituerentur (prouti « desiderium flagrans », iam voluit Concilium Tridentinum) et in missionibus et locis dissitis,

b) constans ac perpetua legislatio ecclesiastica, iam a Conc. Illiberitano (a. 300), legem caelibatus semper imposuit eadem gravitate atque eadem obligatione, episcopis, presbyteris et diaconis. Siricius Papa (a. 385) hanc legem appellavit « insolubilem » et Conc. Carthagensis saec. IV, caelibatus obligationem promulgantia, memoriam faciebant et doctrinae apostolorum et traditionum antiquitatis christianae, (e. g. Conc. Carthag. a. 390).

c) fundamentum theologicum caelibatus, pro diaconis, aliud non est nisi illa « quaedam congruentia decens », de qua loquitur S. Thomas (Suppl. III, q. 53, a. 3) et quae invenitur in functionibus sacris diaconorum propriis. Hac de causa, aiente S. Ignatio M., diaconi sunt « ministri mysteriorum Iesu Christi », « ministri Ecclesiae » (*Ad Trall.* 2, 3); quare S. Polycarpus eos appellat « diaconos Dei » et ministros non hominum sed Dei et Christi (*Ad Fil.* 5).

Ex his clare deducitur diaconorum existentiam in futurum, si hi *coniugati* creantur, constituere non simplicem restaurationem, sed veram *innovationem*, saltem in eo quod statum personalem talium diaconorum se refert.

Quapropter, quia *de causa maiori natura sua* agitur, vel Concilium oecumenicum proclamare debet, sua suprema auctoritate, legem caelibatus futuros diaconos non obligare, vel id relinquendum est futurae Romani Pontificis determinationi.



functiones ordinum minorum propriae ab illis exerceri possent qui illos ordines susceperint.

Circa *collegialitatem episcoporum*, de qua agitur in nn. 16-17 cap. II, argumentum positivum afferre vellem, ex duobus documentis dogmaticis desumptum.

1. Concilium Vaticanum I hoc definivit: « ... fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia, sive sollemni iudicio sive *ordinario et universali magisterio*, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur » (sess. III, cap. III). Ex actis autem eiusdem Concilii constat verba « *ordinario et universali magisterio* » designare magisterium ordinarium, quod exercet Episcopatus totius Ecclesiae per orbem dispersus (*Coll. Lac.* VII, 87, 176).

Pertinet ergo ad fidem catholicam episcopatum in communione cum Romano Pontifice habere ex iure divino magisterium supremum infallibile et auctoritativum in Ecclesia, sive episcopatus doceat congregatus in Concilio, sive per orbem dispersus. Iamvero haec potestas suprema magisterii — eo quod est auctoritativa et *authentica* — concipi non potest sine vi obligandi. Igitur episcopatus cum et sub Romano Pontifice, habet supremam potestatem hierarchicam Ecclesiae — *ἱερός ἀρχή*, sacrum principatum — sive congregatus in Concilio, sive per orbem dispersus. Hanc autem supremam potestatem hierarchicam, non habent episcopi singuli, *ut singuli*, sed episcopatus quatenus est *unum corpus episcoporum*.

Hoc factum ostendit episcopos efformare verum corpus hierarchicum et eis non competere supremam potestatem hierarchicam Ecclesiae, nisi in quantum sunt membra *corporis episcopalis*, sub et cum eius capite. Immo, hanc *supremam* potestatem exercere non possunt, nisi in *consensu* omnium — moraliter universali — inter se et cum Romano Pontifice.

2. Ex alia parte, const. ap. *Munificentissimus Deus* Pii XII — qua promulgatum fuit dogma Assumptionis B. M. V. — docet *consensum* episcoporum in proponenda determinata doctrina, tamquam divinitus revelata, esse eo ipso infallibilem (*AAS* 22, 1950, pp. 756-757). Huiusmodi autem *consensus* ostendit et supponit episcopos docere et regere ut constituentes illam unitatem hierarchicam, quae est episcopatus.

Inde sequitur episcopos in exercitio pastoralis suae potestatis hierarchicae agere debere tamquam membra *unius* episcopatus et proinde in mutuo consensu, tum inter se tum cum et sub Romano Pontifice. Nam eorum potestas ordinatur ad unitatem Ecclesiae in caritate, fide, sacramentis et cultu servandam: sc. habent potestatem *unius episcopatus unius Ecclesiae*. Talem autem unitatem servare non possunt, nisi curent *de sentiendo et conveniendo* cum reliquis membris unius episcopatus in docendo et regendo. Hac de causa, episcopi vere censentur et appellantur « sponsores Ecclesiae », iuxta notissima verba Pii XII.

Ergo concludendo: ex doctrina Vaticani I et ex const. ap. *Munificentissimus Deus* circa potestatem episcopatus, nempe circa episcopatum ut subiectum potestatis supremae Ecclesiae — cum et sub Romano Pontifice — apparet episcopos habere et exercere hierarchicam potestatem, *tamquam membra corporis episcopatus*. Si autem episcopi revera unum corpus hierarchicum efformant, certum est hanc realitatem recte exprimi posse per verba « collegium » et « collegialitas »: quorum conceptus theologicus — hucusque expositus — profundior atque *nullo modo confundendus* est cum conceptu iuridico.

[*Subsignaverunt etiam:*] Marcellus, ep. Asturicensis; Petrus, ep. Huelven-



sis; Vincentius, ep. Celsonensis; José M., ob. (tit.) Drusilianensis; Iosephus, ep. Segobricensis-Castellionensis; Felix, ep. Giennensis; Raymundus, ep. Vicensis; Emmanuel, ep. Cordubensis; Antonius, ep. Gadicensis et Septensis; Raphaël, ep. tit. Dardanus; Franciscus, ep. Victoriensis.

5

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY

Archiepiscopus Columbensis

Venerabiles Patres,

In schemate optima dicta sunt de collegialitate episcoporum in Ecclesia Christi. Cavendum tamen est ne quid erroneum incaute *inducatur*¹ in rebus fidei. Quapropter sequentia humiliter submitto.

Primo. De relatione inter collegialitatem episcoporum et infallibilitatem Romani Pontificis.

Permulta hac de re iam dicta sunt, tamen ad sensum Ecclesiae clare elucidandum iuvabit proferre non tantum opiniones diversas sed easdem opiniones sub diverso aspectu et ex dissitis mundi regionibus.

*Unde ad quaedam iam dictis addenda indulgentiam Patrum postulo.*²

I. Claritatis causa *et ut ordinatim procedam*,³ sequentia praenotare iuvabit.

Ecclesia Christi cum sit Corpus Christi mysticum, et, dum hoc in mundo peregrinet, extensio quaedam sit seu continuatio *eiusdem*⁴ Christi Salvatoris, ea infallibilitate gaudet quae ad eius ministerium salvificum adimplendum necessaria est. Quae infallibilitas diversimode in Ecclesia adesse dicendum est.

a) *Infallibilitas passiva* seu infallibilitas in credendo, nam « portae inferi non praevalent adversus eam » ...⁵. Haec infallibilitas in credendo indita est in tota communitate simul sumpta omnium fidelium tam ex clero quam ex laicatu in communionem cum Vicario Christi degentium. (Unde praesentia legitima, *dico*,⁶ suo modo, etiam fidelium laicorum ut testium fidei in Concilio oecumenico).

b) *Infallibilitas activa* seu infallibilitas in docendo, quae patet ex verbis Christi, « Euntes docete omnes gentes ... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus » ...⁷. Haec infallibilitas *in docendo*⁸ adest in Ecclesia, *sicut dicimus*,⁹ docenti: essentialiter quidem in episcopatu, nam ipse « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam ...¹⁰ », et per communicationem in sacerdotibus secundi ordinis rite designatis.



(Unde in Concilio oecumenico praesentia etiam activa sacerdotum secundi ordinis, ex mandato Summi Pontificis).

Doctrina de illa duplici infallibilitate totius Ecclesiae, nempe tam in credendo quam in docendo, est certa.

II. Nunc autem quaeritur quaenam sit relatio *in Ecclesia docenti*¹¹ inter Romanum Pontificem et ceteros episcopos relate ad infallibilitatem...¹²

Quidam putant Romanum Pontificem infallibilitate gaudere solum in quantum est caput collegii episcoporum; a. v., extra collegium episcopale (cuius ille est caput) non dari infallibilitas in docendo.

Humili meo sensu, res clare exponenda est ne gravibus erroribus ansa detur. Notandum ergo est quod ex una parte infallibilitas non influit in Romanum Pontificem a¹³ collegio episcopali nec directe nec indirecte. Influxus directus haberetur si infallibilitas *esset*¹⁴ v. g. ex delegatione collegii, indirectus vero si mediante collegio ipse Deus eam conferret. Ex altera parte, nullo alio donatur donum infallibilitatis nisi solo Romano Pontifici, qui simul est caput collegii episcopalis. Unde vere dici potest Romanum Pontificem, qui est caput collegii episcopalis, infallibilitate pollere, si simul sine ambiguitate patet ipsum eam recipere directe a Deo et nullo modo a collegio episcopali. Simul fieri debet clara declaratio de modo exercendi illam infallibilitatem. Romanus *enim*¹⁵ Pontifex duplici modo suam infallibilitatem exercere potest: vel coniunctim cum collegio episcopali prout fit aut in Concilio oecumenico aut si Romanus Pontifex consensum episcoporum alio modo obtinet; vel seiunctim i. e. a semetipso absque consensu vel assensu episcoporum eo quod ille non derivat suam potestatem infallibilem a collegio episcopali nec est eius delegatus. Tenetur tamen Romanus Pontifex sequi sensum Ecclesiae, tam credentis quam docentis, qui sensus est idem ac depositum fidei vivum.

In primo casu, *nempe quando loquitur in collegio episcopali*,¹⁶ Romanus Pontifex agit formaliter ut caput collegii episcopalis; in secundo autem casu tantum materialiter. Iuxta tenorem definitionis Concilii Vaticani I, talis videtur esse sensus doni infallibilitatis in Romano Pontifice.

Unde vocare infallibilitatem Summi Pontificis simpliciter infallibilitatem collegialem ansam praebere potest erroribus. Melius esset illam vocare *infallibilitatem vicariam*. Nam illam tum recipit tum exercet, semper ex directa communicatione a Christo, in suo munere Vicarii Christi; *nam Christus*,¹⁷ qui solus est¹⁸ ipsa Veritas, est absolute infallibilis.

...¹⁹ Ne dicatur verba « Vicarius Christi » relate ad Romanum Ponti-



ficem recentioris originis esse *historice vel recentioris usus*.²⁰ Distinguendum est inter nomen et rem. Nomen vero potest esse recentioris originis vel usus (sicut etiam nomen « episcopus »), sed res ab initio Ecclesiae exstabat...²¹

Unde votum meum sic propono:

In genere: clarificetur ut supra doctrina de infallibilitate *in schemate*.²²

In specie: in pag. 30, lin. 1, ad evitandas ambiguitates, omittantur verba « collegii episcoporum caput »; et in eadem linea post verbum « quando » inserantur verba: « ut Vicarius Christi Supremus et ideo... », ita ut totus textus sic sonet: « Qua ipse per se gaudet Romanus Pontifex, quando ut Vicarius Christi Supremus et ideo ut Supremus Pastor et Ecclesiae Doctor... etc. ».

Eodem modo, *puto, loquendum est*²³ de primatu Romani Pontificis.

Secundo loco. Velim perpauca addere de episcopatu in quantum est sacramentum.

Sacerdotium tam in episcopatu quam in presbyteratu est participatio Sacerdotii Christi. Distinctio autem in hoc fundari videtur, nempe episcopatus est participatio sacerdotii Christi in sua plenitudine. Unde in constitutione apostolica Pii Papae XII in forma sacramenti habentur haec verba: « Comple in sacerdote tuo ministerii tui summam ». E contra presbyteratus est participatio tantum in secundo gradu seu *inferiori*²⁴ gradu. Distinctio ontologica in eo poni videtur quod episcopatus confert potestatem sacerdotalem plenam tam ordinis (plena sub omni aspectu) quam regiminis (collegialiter *exercendum super totam Ecclesiam*,²⁵ personaliter...²⁶ super suam propriam Ecclesiam), et e contra presbyteratus confert participationem non plenam tam ordinis quam regiminis...²⁷

Concludo. Evitandum igitur videtur locutio secundum quam distinctio per se prima inter duos ordines ponitur in eo quod episcopatus est incorporatio in collegio episcopali, quam incorporationem non attingit presbyteratus. Incorporatio seu coniunctio directa et *per se prima et*²⁸ immediata in utroque casu, quamvis in diverso gradu, est cum Sacerdotio Christi et quidem in Christo et per Christum, tantum ut quaedam sequela, et quidem haud necessaria, incorporatio cum collegio episcopali. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ introducantur. ² deest. ³ deest. ⁴ ipsius.
⁵ (Mt. 21, 18). ⁶ deest. ⁷ usque ad consummationem saeculi » (Mt. 28, 19-20). ⁸ deest. ⁹ deest. ¹⁰ Dei (Act. 20, 28). ¹¹ deest. ¹² in docendo. ¹³ e. ¹⁴ sit. ¹⁵ deest. ¹⁶ deest. ¹⁷ deest. ¹⁸ ut.
¹⁹ Nota. ²⁰ vel usus esse. ²¹ Neve ulterius dicatur verba « Vicarius Chri-



sti » etiam ceteros episcopos designare. Nemo est quin videat verba illa relate ad alios episcopos non eodem sensu universali praetenda esse. Forsan ad evitandas ambiguitates, Romanus Pontifex vocari potest Vicarius Christi Supremus.²² deest. ²³ loquendum esse videtur. ²⁴ minori. ²⁵ super Ecclesiam universalem... ²⁶ per se. ²⁷ (et hoc secundum, tantum potentialiter). ²⁸ deest.

Moderator: Legatur tertia emendatio.

Secretarius generalis: Ad art. 52. Emendatio tertia: pag. 180, lin. 23 (quae respondent pag. 22, n. 68 huius fasciculi) ... [cf. pag. 549].

6

EXC.MUS P. D. IESUS ENCISO VIANA
Episcopus Maioricensis

Venerabiles Patres,

Adhuc de collegialitate episcopatus! Plura omittam quae sinceram in crisim revocant argumenta quae adducuntur pro collegialitate sive apostolorum sive episcoporum et quorum aliqua, humili meo iudicio, vim probandi habent, alia vero non. Pro collegialitate episcoporum unum tantum argumentum probativum audivi, existentia nempe Conciliorum oecumenicorum. De hoc legam:¹

Robustior est argumentatio, quam ex Conciliis oecumenicis desumunt. Liceat de hac mentem meam fusius aperire.

Concilia oecumenica non nisi in saec. IV inceperunt celebrari. Prima concilia particularia locum habuerunt in Asia Minori cum occasione erroris montanistarum, et in illis, non tantum episcopi, sed etiam laici adunabantur. Nonne ratio adunationis erat problemata communia communem solutionem exigere ex communi fide et traditione derivatam? Quia illud problema varias finitimas ecclesias afficiebat, adunabantur episcopi illarum dioeceseon, ut solutiones communes invenirent.

Quando problemata surrexerunt, quae totam Ecclesiam afficiebant, cum difficillimum esset tunc temporis omnes episcopos omnium dioeceseon adunare, celebrabantur plura concilia, ut ita dicam, regionalia, quorum conclusiones vel decreta Ecclesiae inter se communicabant in signum unitatis. Quae conclusiones singulorum conciliorum non semper inter se convenientes erant, sicut accidit in quaestione de Paschate.

Inde evenit ut concilia, quae multo plures episcopos adunabant, maiorem auctoritatem haberent, sicut magna illa concilia, quae saec. III celebrata sunt in Antiochia. Maximam autem auctoritatem habuit con-



cilium, in quo omnes episcopi Ecclesiae praesentes erant, seu concilium oecumenicum. In eo inveniebantur testes fidei totius Ecclesiae et simul omnes doctores totius Ecclesiae, et nec fides totius Ecclesiae falli potest, nec omnes Ecclesiae doctores possunt errare.

Auctoritatem conciliorum ortam fuisse, saltem iuxta mentem illius temporis, ex numero episcoporum adunatorum, videtur probari ex epistola, quam presbyteri romani, sede vacante, scripserunt ad Ecclesias, ut concilia celebrarentur pro quaestione « de lapsis ». Dicunt enim: « Perquam enim nobis et invidiosum et onerosum videtur non per multos examinare quod per multos commissum videatur fuisse, et in unum sententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffusum notetur exisse, quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum. Aspice totum orbem paene vastatum et ubique iacere deietorum reliquias et ruinas, et idcirco tam grande expeti consilium quam late propagatum videtur esse delictum »...²

His praemissis, dico in collegio oecumenico dari verum collegium, *in sensu in quo nunc loquimur, verum collegium*³ omnium episcoporum Ecclesiae sub Romano Pontifice, et hoc collegium natum esse in determinato momento historico ex natura Ecclesiae. Unde cum Christus Ecclesiam fundaverit, possumus dicere aliquo modo collegium episcoporum originem ducere a Christo; et in hoc sensu collegium episcoporum succedit collegio apostolorum.

III. Limites tamen et facultates huius collegii accurate determinari debent. Iam enim quibusdam placet auctoritatem illam collegialem, quam omnes episcopi Ecclesiae, una cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate haberent, extendere ad coetus regionales. Sic in nova redactione, quam pro nn. 16 et 17 proposuerunt quidam episcopi, et quae in libello impresso emendationum posita est sub n. 27, legitur in pag. 34 ad finem: « Cum autem plures episcopi in peculiaribus coetibus congregantur, ipso met habitu collegiali, qui proprie episcopatu inhaeret, praediti esse dicuntur, dummodo coetus ipsi cum Romano Pontifice coniungantur et ab illo iuxta ordinem Ecclesiae sanciantur ».

Si enim collegium episcoporum consistit in adunatione *omnium* episcoporum Ecclesiae cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate, videtur dicendum illud collegium episcoporum non verificari in coetu episcoporum cuiusdam regionis tantum. Et ideo, si episcopi illius coetus regionalis « in Christifideles eiusdem regionis modo collegiali potestatem exercere valeant », prout in eadem propositione legitur in pag. 35, mihi videtur eos talem potestatem non habere vi collegialitatis, sed ex concessione Summi Pontificis vel Concilii Oecumenici; quamvis certe participatio, quam ipsi habent, in sollicitudine omnium Ecclesiarum pro-



pria collegii episcoporum, aliquam congruentiam offert ut Romanus Pontifex vel Concilium Oecumenicum illam sollicitudinem ad talem regionem dirigat.

Propono ergo ut, antequam de his, quae collegium tangunt, a Patribus suffragetur, clare et praecise dicatur:

1. Quid intelligatur pro hoc collegio episcoporum.
2. Quanam condiciones requirantur ut tale collegium de facto verificetur.
3. Quanam sint iura et officia eorum qui tale collegium constituunt.
4. Quanam relatio huius collegii ad Romanum Pontificem.
5. Quid intendimus per appellationem ad hoc collegium. Nam:
 - a) Si intendimus auctoritatem dare conferentiis episcoporum, inutilis nobis est doctrina de collegio, quia illae conferentiae non sunt collegium episcoporum, quod ex fontibus cognoscimus.
 - b) Si autem intendamus ut plures episcopi ex diversis nationibus partem habeant in Curia Romana, non est necessaria doctrina de collegio, quia Curia Romana est simpliciter instrumentum Pontificis pro regimine Ecclesiae.
 - c) Si intendamus ut Romanus Pontifex habeat secum consilium *consultivum* ab episcopis diversarum nationum efformatum, iterum innecessaria est doctrina de collegio, quia munus collegii non est consultivum, sed decisivum.
 - d) Si autem intendatur ut Romanus Pontifex secum habeat consilium variorum episcoporum, quod in nomine collegii auctoritatem aliquam exercent in regimine ordinario Ecclesiae, evidens est hoc consilium auctoritatem Summi Pontificis imminuere, ideoque nemo nostrum potest eum admittere.

*Reliqua secretariae tradam.*⁴ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Facile admitto in Ecclesia, iam a pluribus saeculis, existere quoddam quasi collegium episcoporum.

Sed, quia in documento sollemni Concilii Oecumenici omnia debent maxima cura perpendi, antequam affirmemus collegium episcoporum esse successorem collegii apostolorum, omnia bene ponderanda sunt.

Liceat in antecessum distinguere inter categoriam hominum et collegium. Non omnis, qui pertinet ad aliquam categoriam hominum, pertinet ad aliquod collegium. Ideoque designatio alicuius categoriae non necessario demonstrat existentiam collegii. Sic farmacopolae categoriam quamdam socialem constituunt, et possunt hoc nomine colectivo designari, quin collegium constituent. Si autem munus suum, saltem aliquando, collective exercent, collegium efformant.

Dico ergo:

I. *Apostoli collegium efformabant.* Hoc non probatur ex terminis « duo-



decim » vel « apostoli », quibus designantur in N. T., quia sunt nomina, quae simpliciter designant aliquam categoriam, quam Iesus fundavit, quando elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit (*Lc.* 6, 14).

Probatur tamen ex actionibus eorum collectivis, e. g. ex missione Petri et Ioannis in Samariam. Legimus enim: in *Act.* 8, 14: Cum autem audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem ». Est evidenter actio collegialis.

II. *Non clare apparet collegium episcoporum successisse collegio apostolorum.*

Quidam intendunt hanc successionem probare, dicentes:

a) Episcopi sunt successores apostolorum. Atqui id tantum intelligi potest de successione collegii apostolorum per collegium episcoporum. Ergo collegium episcoporum est successor collegii apostolorum.

Sed negatur minor. Ratio, quae adducitur ad eam probandam, solum demonstrat categoriam episcoporum successisse categoriae apostolorum; sed non probat episcopos apostolis successisse etiam in collegialitate.

b) Insistunt: Si quis diceret posse esse collegium apostolorum, quin habeat in collegio episcoporum successorem, idem etiam dici posset de Petro quoad primatum.

Sed nego paritatem. Dari in Ecclesia aliquem successorem primatus Petri, sequitur ex verbis ipsis promissionis primatus; petra enim fundamentalis Ecclesiae tamdiu necessario existere debet, quamdiu Ecclesia perduret; secus Ecclesia destrueretur. Sed non possumus idem dicere de collegio episcoporum, quamvis utique de episcopis.

c) Ex traditione adducuntur nomina quaedam a S. Cypriano et aliis adhibita, ut sunt « corpus », « collegium », « ordo ».

Sed haec nomina satis explicantur per illam realitatem, quam appellavi categoriam, nisi demonstraretur agi de categoria personarum, quae munus suum exercent collective. Immo verba S. Cypriani, quae afferuntur in nota 28 schematis, loquuntur de *corpore sacerdotum*; unde si aliquid probarent, deberemus dicere existere in Ecclesia corpus sacerdotum. ^{d)} ² (Cyprianus, *Ep.* XXX, 5: CSEL, 2, pag. 553, linn. 13-22). ³ deest. ⁴ IV. Quamvis Romanus Pontifex sit caput collegii episcoporum, non tamen negandum est eum esse etiam caput totius Ecclesiae, etsi alio modo et alio sensu ac Christus.

Utrumque enim, et Christum esse caput Ecclesiae, et Romanum Pontificem esse caput Ecclesiae, metaphorice dicitur, sed secundum duas metaphoras diversas. Christus dicitur caput Ecclesiae secundum metaphoram corporis, in quo caput determinata munera biologica exercet. Romanus autem Pontifex, secundum metaphoram domus et societatis; quod enim in domo est fundamentum, est in societate suprema auctoritas, quae vulgo appellari solet caput; sic loquimur de capite status.

Ergo *caput* de Christo et de Romano Pontifice praedicatur, non univoce, sed analogice vel etiam aequivoce.

V. *Emendationes quaedam.*

Ad n. 11. In lin. 10 iterum dicitur Christum fundasse Ecclesiam super Petrum et apostolos. Sapienter de hoc disseruit emmus card. Ruffini et alii episcopi post eum, quorum doctrinam accipio, eorum dictis addens textum *Apoc.* 21, 14 non agere de Ecclesia militanti, sed de Ierusalem caelesti, in qua apostoli



dicuntur fundamentum, non civitatis ipsius, sed muri eius. Non potest ergo adduci in nostro casu.

Sed et in lin. 13 textus redactus est ita, ut Conc. Vaticanum I videatur dixisse missionem apostolorum fuisse primum actum in aedificatione Ecclesiae; dum reapse in constitutione *Pastor Aeternus* hae duae ideae variis aliis interiectis separentur.

Ad n. 13. Textus biblici, qui adducuntur in paragrapho secunda huius numeri, non probant successionem in apostolatu, sed potius facultates describunt, quas apostolus suis collaboratoribus transmittabat. Unde, antequam tales textus afferantur, probari debet factum successionis in apostolatu, quod clarius apparet in traditione et inniti potest documentis Clementis Romani et Irenaei. Sic ergo in prima paragrapho necessitas successionis statuatur, sicut fit in linn. 15-26. In secunda, factum successionis demonstratur ex traditione. In tertia autem ex indiciis, quae in epistolis pastoralibus S. Pauli inveniuntur, et factum successionis confirmetur, et facultates successorum describantur.

Ad n. 14. Quod in lin. 21 dicitur de charactere sacramentali, omitti debet, quia tangit quaestionem disputatam, quam Concilium sine accuratissimo studio dirimere non potest.

Pro linn. 8-25 magis mihi placet textus propositus ab arch. Baudoux, qui in foliis impressis numerum habet 222.

Ad n. 15. Hic numerus convenienter poneretur in fine totius capituli, ne tractatio de episcopis intercidatur.

In lin. 6 pag. 26 non dicatur « In sacrificio Missae *offerendo* », sed *peragendo* vel aliud simile, quia etiam fideles offerunt sacrificium Missae.

In lin. 39 « praepositos Ecclesiae » est expressio nimis vaga. Potius dicamus « ad supremam Ecclesiae auctoritatem ».

7

EXC.MUS P. D. IOANNES GAY

*Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis**Venerabiles Patres,*

1. Paene omnia vel dicta vel scripta sunt, relate ad *diaconatum*, in quantum est « proprius ac permanens gradus hierarchiae », sicut exstabat in primordiis Ecclesiae.

Hodie, tale problema non amplius recusari vel ignorari potest.

Quis enim non videt beneficia, quae ex hac renovatione antiquae disciplinae provenirent, ex restitutione illius ordinis diaconatus, qui divinitus institutus est, et qui non solum tamquam « gradus quo ad sacerdotium ascenditur » existeret, sed illa propria autonomia polleret, quam semper habuit in Ecclesia orientali? Quanta utilitas pro nostra hodierna Ecclesia, quae in « statu missionis » constituitur, quae multis indiget sacerdotibus, si tales diaconi in prima acie invenirentur?



Aliquae tamen difficultates huius quaestionis remanent, speciatim illa quae sequitur: Dum iam a millenario subdiaconatus in Ecclesia occidentali pro ordine castitatis habetur, numquid timendum est ne gravis difficultas ex eo proveniat, quod adsint alumni, qui sese ad diaconatum praeparant cum intentione familiam condendi? Nonne adest aliud periculum ne, ex tali coniunctione, vocationes ad sacerdotium, iam numero decrescentes, adhuc rariores evaderent?

In suo inaugurali discursu ad Congressum Apostolatus Laicorum, anno 1953, sic aiebat Papa Pius XII: « Scimus aliquos ad id tendere, ut ordo quidam diaconatus, tamquam munus ecclesiasticum a sacerdotio plene distinctum, in praxim inducatur. Talis conceptus, saltem nostris temporibus, non adhuc maturus est ».

Sed forte possibile erit, secundum votum em.mi card. Richaud, ut Concilium praesens conferat ad talem maturitatem promovendam.

2. Attamen, nonne praesens Concilium faustam occasionem praeberet ordines minores renovandi, *sicut iam hodie locutus est unus ex praecedentibus oratoribus*,¹ in sensu iam a Concilio Tridentino exoptato?

In can. enim 17, idem Concilium ratam habuit accessionem virorum desponsatorum ad ordines minores, modo valde explicito; sic ait: « Quodsi ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam *coniugati* vitae probatae, dummodo non bigami (i. e. qui alterum matrimonium non inierunt) ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent ».

Quo in casu, iam non haberetur illa difficultas quae nonnullis videtur obstare quominus homines, vinculo matrimonii adstricti, ad Ordinem diaconatus admitterentur.

Quapropter, dum conatur diaconatum in suum pristinum valorem restituere, et antequam ad universalem Ecclesiam extendatur, quaeritur utrum tempus non adsit maiorem aestimationem concedendi sic dictis Ordinibus minoribus qui, de facto, hodie, minore consideratione pollent.

Quaestio etiam sustentationis illorum minoratorum generatim facilius solveretur quam pro diaconis, quia facilius alium laborem remuneratum assumere possent, si ad servitium Ecclesiae non toto tempore adhiberentur.

Ministeria ergo coniugatis minoratis commissa, velut actio liturgica, Actio Catholica, beneficentiae opera, instructio religiosa fidelium, publicae communicationis media, etc., in hoc sensu de novo ac modo nostris temporibus accommodato, excogitanda ac determinanda videntur.

Sane, non sine praevia solida formatione ad ordines minores admit-



tendi essent, etsi minus completa et minus dispendiosa quam illa diaconorum.

Denique, si nova formula diaconatus in magnis civitatibus et in regionibus valde evolutis magna sine difficultate acceptari posset, in regionibus missionum Ordines minores facilius adoptarentur.

Et hic nobis liceat in mentem revocare, coram 50 episcopis vel praefectis apostolicis Congregationis Sancti Spiritus in hac aula praesentibus, quod iam plus a saeculo ...², in suo Libello ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, venerabilis Pater Libermann, qui in tantis quaestionibus relate ad missionum regimen, tamquam praecursor considerandus est, hanc iam solutionem de admissione virorum etiam coniugatorum ad Ordines minores proponebat, quam ad perantiquam praxim Ecclesiae connectebat.

3. *Conclusio.* Aestimamus quod renovatio Ordinum minorum est alicuius momenti, et illam subicimus benevolentiae vestrae, venerabiles Fratres, atque Commissionis competentis attentioni.

Et audemus exoptare ut haec propositio respiciens Ordines minores, iam a Concilio Tridentino resoluta, locum inveniat in textu schematis, simul cum propositione relativa ad Ordinem diaconatus. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² (1840).

Moderator: Legatur quarta emendatio *de Liturgia*.

Secretarius generalis: Ad art. 57. Emendatio quarta: pag. 181, linn. 12-15 (quae respondet pag. 23, n. 73, parti I, huius fasciculi) ... [*cf. pag. 549*].

Moderator: Invitantur Patres, qui in aula non sunt, ut redeant, propter aliquam communicationem paucis in minutis tradendam.

8

EXC.MUS P. D. DINUS ALOISIUS ROMOLI

Episcopus Pisciensis

Venerabiles Patres,

Verba facere intendo ...¹ de diaconatu instaurando tamquam ordine sacro per se exstante et de facultate facienda Ecclesiae praepositis diaconos sic constitutos a sacra lege caelibatus dispensandi.



Animadversiones pro et contra hoc propositum prolatae sunt.

Mihi liceat dicere contra.

Argumenta ne repetam aliorum, unum quid addere volo ad sententiam meam propugnandam et hoc est quod, semel admisso coniugio pro diaconis, periculum foret ne aliqui, etiam ex iis qui iam sacerdotio aucti sunt et ministerium sacerdotale exercent, impetu passionum sollicitante et premente, velint retrorsum redire, et, accepta muliere, ad diaconatum confugere tamquam ad naturalem exitum suae ipsorum crisis spiritualis.

Unde, omnino insidiis plena esset haec relaxatio et ob hanc quoque rationem vulnus recte ipsa diceretur in sacra lege caelibatus.

Non nego vim considerationum illorum qui hanc positionem impugnant seu illi contradicunt. Equidem verum est quod diaconi, utpote qui caractere et gratia sacramentali ditati sint, aptiores per se inveniuntur, quam simplices catechistae ad certa munia infra officia sacerdotalia implenda in bonum et salutem fidelium. Nec ideo ullam habeo obiectionem contra diaconos permanentes, firma tamen pro ipsis manente lege caelibatus.

At si huic sacro tam antiquo et tam venerabili instituto quoad diaconos derogetur, timeo ne mala quae sequentur maiora sint bonis fructibus qui exspectantur.

Prudenter edicitur practicam effectiorem huiusce concessionis vel licentiae circumscribendam fore illis regionibus ubi vera atque gravis urget necessitas ministrorum.

Sed quum concilium oecumenicum, solemnitate qua pollet, sententiam ediderit de re, statuendo, publico et generali decreto, ipsam possibilem, immo opportunam et utilem esse, certis conditionibus, nonne putatis, venerabiles Patres, hunc actum cassam reddere optatam limitationem et e contrario favere increbescentiae et dilatationi moris illius?

Quapropter melius foret, meo humili iudicio, controversiam submittere disciplinae Apostolicae Sedis, quatenus ipsa, singulis casibus sibi propositis, omnibus mature perpensis, decernat quicquid faciendum sit.

Quaestio non fit, nec fieri potest, de aperienda vel claudenda porta, ut hesternae die audivimus, ad providendum curae animarum, sed potius de aperienda *illa* porta qua iter arripiatur rectum, tutum, securum, etsi longius et magis arduum, ad obtinendum illum finem; de claudenda vero alia qua iter arriperetur, facilius quidem et expeditius, sed forte fictum, fallax, absonum, perducens ad exitium.

Unum verbum addendum censeo quoad argumentum partis adver-



sae desumptum ex principio oecumenismi. Optimum quidem erit rationes exquirere ad finem illum consequendum, et quidquid inservit ad hoc ut conspiremus cum fratribus seiunctis magni sane pretii faciendum est, dummodo ne afferat nobis detrimentum. Secus cum videremur construere, revera destrueremus. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ de n. 15 cap. II, pag. 26, linn. 28 ss. seu.

Moderator: Audire velint Patres! Adhuc oratores de cap. II supersunt numerosi, ita ut saltem per tres posteriores dies discussio protraheretur.

Visum est moderatoribus, ad normam art. 57 § 6, quaestionem vobis esse ponendam: « Utrum placeat Patribus hodie finem imponere discussionibus circa caput II? ». [*Plausus in aula*].

Velint Patres, quibus talis propositio placet, surgere, ita ut melius daretur indicatio.

[*Plerique Patres surgunt*].

Gratias! [*Plausus in aula*].

Nunc vero velint Patres, adhuc inscripti, emendationes in scriptis tradere, salvo iure de quo in art. 57 § 6, quod vellem legere, pag. 46 in *Ordine Concilii*: « Disceptationi diutius protractae moderator finem imponere potest, probante maioris partis Patrum praesentium suffragio, servata autem semper loquendi facultate em. mis cardinalibus necnon Patribus, qui, nedum nomine proprio, sed nomine quoque aliorum saltem quinque Patrum eandem facultatem petierint; fine vero disceptationis decreto, minor Patrum pars, quae maiori contradixit, potest adhuc tres oratores etiam inter peritos conciliares designare, cum facultate decem quoque momenta excedendi ».

Nunc vellem aliud nuntium vobis tradere.

A per pluribus Patribus rogatum est ut in fine discussionis cap. II quaedam votatio habeatur de praecipuis argumentis cap. II, ita ut quoad maiora problemata pateat generalis mens Patrum.

Feria proxima, in aula, accipietis folium cum quatuor votis vobis propositis: quae vota intendunt dare commissioni theologiae orientationes seu normas directivas pro ulteriori elaboratione schematis, ita ut labor commissionis facilius et clarius progredi possit.

Textus votorum vobis cras dabitur, sed votatio de eis fiet tantummodo feria V. Gratias!

Legantur exitus suffragationum *de Liturgia*.

*Secretarius generalis:**Emendatio I capitis III:*

Praesentes votantes	2.239
Dixerunt <i>placet</i>	2.224
<i>non placet</i>	12
<i>placet iuxta modum</i>	1
Suffragia nulla	2

Emendatio II:

Praesentes votantes	2.159
Dixerunt <i>placet</i>	2.103
<i>non placet</i>	49
<i>placet iuxta modum</i>	3
Suffragia nulla	4

Emendatio III:

Praesentes votantes	2.100
Dixerunt <i>placet</i>	2.058
<i>non placet</i>	42

Ergo omnes tres emendationes placuerunt. Exitus quartae crastina dabitur.

9

EXC.MUS P. D. IOANNES MAZUR

Episcopus tit. Bladiensis, aux. Lublinensis

Em.mi et exc.mi Patres conciliares,

Audeo humiliter proponere aliquam additionem, parvam quidem quantitate, sed non parvi momenti — ut puto — in n. 13 cap. II schematis *de Ecclesia*, in sententia a lin. 17 ad 21 pag. 24: de episcopis successoribus apostolorum.

In dicto loco scriptum est: « Quapropter Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores, eadem divina potestate, non quidem eam fundandi sed sustentandi et pascendi praeditos ».

At propono in ista assertione, in lin. 20, post verba: « ... non quidem eam fundandi sed... », addere verbum « dilatandi », et sententiam hanc ita exprimere: « Quapropter Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores, eadem divina potestate, non quidem eam fundandi sed dilatandi, sustentandi et pascendi praeditos ».



Et probo: magis consentaneum esse videtur:

1. cum Domini mandato apostolis et eorum successoribus tradito: « Euntes docete omnes gentes ... etc. » ...¹;

2. cum officio successorum collegii apostolici, cui fuit commissum officium Ecclesiae fundandae, nunc autem successoribus officium Ecclesiae dilatandae;

3. cum can. 1350 § 1 C.I.C., ubi dictum est: « Ordinarii locorum et parochi acatholicos, in suis dioecesibus et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant »;

4. cum assertionibus huius cap. II schematis *de Ecclesia*, e. g. n. 14, linn. 26-30 pag. 25 ...²; et n. 17, linn. 31-37 pag. 28: « Cura Christi Evangelium annuntiandi ubique terrarum ad corpus Pastorum pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium, ut iam Papa Caelestinus Patribus Ephesini Concilii commendavit. Unde liquet, etiam si suprema ordinatio operis missionum ad Romanum Pontificem pertinet, omnes tamen episcopos, quantum eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem cum eo venire, eique adesse debere. Missionibus auxilia spiritualia, humana et materialia, tam per se directe, quam suscitando fidelium ardentem cooperationem, suppeditare omnibus viribus debent »; cum n. 21, linn. 30-39 pag. 31: « Pro animabus eorum rationem redditurus Deo ...³ oratione, praedicatione et caritate curam habeat tum eorundem, tum etiam illorum qui inter populum suum degentes de uno ovili nondum sunt, quos in Domino commendatos sibi habeat. Ut Paulus apostolus sapientibus et insipientibus debitor est, et promptus sit omnibus evangelizare ...⁴, fidelesque suos ad operositatem apostolicam et missionalem universalem exhortari... ».

5. Est etiam aestimatio actionis episcoporum omnium, qui non solum fideles docent et sustentant, sed etiam in dioecesibus suis laborant, ut indifferentes, infideles et magis etiam impugnantes Christum ad eum convertantur et in Ecclesiae sinum ingrediantur.

6. Officio correspondere potestatem necesse videtur.

II. Super problema autem presbyteratus liceat mihi, cum multis aliis consentienti, humiliter suadere, ut hoc profundius atque latius saltem a commissione denuo redigente, in schemate *de Ecclesia* pertractetur et eo ipso sacerdotii dignitas et splendor magis refulgeat, non solum nunc, in hac sancta aula, sed etiam postea in tota Ecclesia.

Est enim et ratio pastoralis. Vocationes nempe sacerdotales fere ubique diminui vel non esse sufficientes omnibus notum est. Restauratio diaconatus has difficultates hodiernas non resolvit, nam diaconi — ut alii iam dixerunt — neque sacramentum Poenitentiae administrare, ne-



que fontem sanctificationis nempe sacrificium Missae offerre poterunt. Sacerdotes necessarii sunt ad munus Ecclesiae adimplendum et necessarii erunt. Et finem laboris Concilii etiam augmentum vocationum sacerdotalium esse debere nobis evidens est.

At actualis praesentatio presbyteratus in schemate dignitatem et splendorem eius adumbrare potius et eo ipso (in quantum sit) vim attractentem sacerdotii debilitare videtur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Mt. 28, 19-20. ² « In episcopis quibus presbyteri assistunt, Christus Dominus singulariter Ecclesiae suae vivificandae praesens est, ut imprimis per eorum eximium servitium verbum fidei et sacramenta fidei continuo Ecclesiae administret, eorum paterno munere nova membra Corpori mystico regeneratione spirituali incorporet... » ³ (cf. Hebr. 13, 17). ⁴ (cf. Rom. 1, 14).

Moderator: Loquatur nunc, per modum conclusionis, relator, em.mus D. card. Browne.

Crastina die, discussio incipiet a cap. III prouti iacet (erit confiendum novum, sed discussio fiet prout iacet). Et congregatio proxima erit die proxima.

RELATIO EM.MI P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

In fine amplae discussionis quae in congregationibus generalibus facta est circa cap. II schematis *de Ecclesia*, liceat mihi attentionem vestram humiliter petere dum vobiscum breviter considero quaedam maioris momenti respectu eorum quae in hoc capite continentur.

Fuit anxia cura commissionis conciliaris ut, in his quae dicuntur circa collegialitatem episcoporum, nihil poneretur quod vel minime laederet doctrinam, in Concilio Vaticano I definitam, circa primatum Romani Pontificis. Haec doctrina tanti momenti est ut in prooemio constitutionis dogmaticae *Pastor Aeternus*, Concilium Vaticanum I non haesitavit declarare quod in eodem primatu Romani Pontificis totius Ecclesiae vis et soliditas consistit.

Conscii fuimus de quodam periculo latente in usu non discriminato vocis « collegii ». Haec vox, si sumatur in sensu omnino stricto, prona esset ad significandam societatem hominum eiusdem dignitatis. *Sed, ut puto, haec vox potest quoque habere sensum largiorem seu generaliorum, et*¹ secundum doctissimum Foscellini, sensus proprius eius est societas hominum eiusdem *dignitatis, muneris vel artis*. Ex magno



thesauro totius linguae Latinae Academiarum Germanicarum, sensus vocis « collegii » est conventus seu societas hominum legibus probata; *et in praesenti casu, lex probans — atque hoc saltem videbatur sensus commissionis — lex probans esset lex Christi, lex divina, lex evangelica.*² In isto largiori seu generaliori quodam sensu vox « collegium » debet sumi in ...³ cap. II dum sermo fit de collegio episcoporum, cuius Romanus Pontifex est caput. Sub isto sensu, nullo modo Romanus Pontifex est merus primus inter pares, sed remanet pastor et rector supremus etiam suorum fratrum, episcoporum scil., sive singulatim sive collective sumptorum.

Praedicta doctrina primatus Romani Pontificis clare servatur quoad potestatem collegialem — *ab omnibus admissam*⁴ — in Concilio oecumenico. Concilium enim oecumenicum legitimum non esset nisi convocetur a Romano Pontifice; et acta eiusdem *nullum haberent*⁵ valorem nisi ex eius approbatione. Attentissime curavimus *pro posse nostro*,⁶ ut eadem doctrina servaretur pro casu exercitii potestatis collegialis dum episcopi sunt per orbem dispersi. Inseruimus enim in pag. 27, linn. 34-39, verba quae sequuntur: « Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab episcopis in orbe terrarum degentibus, *dummodo caput collegii eos ad actionem collegialem invitet, vel saltem episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur* ».

Attentis omnibus quae a venerabilibus Patribus in congregatione generali dicta sunt, erit *evidenter*⁷ nostra attendita cura in revisione cap. II, ut ita caveatur de omnibus phrasibus quae in eo inveniuntur, ut doctrina de primatu iurisdictionis Romani Pontificis non solum servetur sed ut semper magis fulgeat. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Tamen. ² deest. ³ nostro. ⁴ deest.
⁵ non habent. ⁶ deest. ⁷ deest.

Secretarius generalis: Audiant omnes! Possum etiam hodie dare exitum quartae suffragationis:

Praesentes votantes	2.178
Dixerunt <i>placet</i>	2.143
<i>non placet</i>	35

Placuit.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosantum Evangelium.